

DISSERTATIO TERTIA

DE REIS PER CENSURAS COERCENDIS.

Huc referendus est titulus 39., libr. 5..

CAPUT I.

De censuræ nomine, & natura.

In pœnitentiis indicendis lenem, & voluntariam, ita dixerim, jurisdictionem tanquam in volentes, & sponte sese subjicientes, Ecclesia exercet, longe profecto rigidior est pars altera potestatis, quo rei contumaces coercendi sunt; non quidem ita, ut in extremum, & irreparabilem, sublata spe æternæ salutis, interitum adducantur, sed ut asperitate perterrefacti ad suscipiendam pœnitentiam non tam invitentur, quam fere adigantur. Contingit id infligendo censuras, quæ medium quemdam locum tenent inter pœnitentias & pœnas, proindeque aliquando latiore significatione pœnæ appellantur, propterea quod proxime ad pœnas accedant, atque in pluribus pœnarum naturam exerant, & qualitates, cap. 9. de celebrat. Missar., cap. 1. de sent. excomm. in 5., dixeris apertissime pœnas salutares; pœnas inquam ex eo, quod animum angunt, & crueiant, ex eo insuper, quod certis ecclesiasticis juribus privant; salutares ex eo, quod ad terrendum potius, & commovendum indicuntur, quam ad puniendum. Veteres Latini Scriptores censuram generaliter appellaverunt quamcumque notam, qua aut persona, aut gestum, aut scriptum aliquid afficeretur, derivato nomine ab eo, quod Romæ olim constitutum fuerat, Censoris officio. Ecclesiastici viri recentioribus præsertim sæculis latissimam vocabuli significationem contraxe-

runt, ut eo designarent aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cap. 20. de verbor. signific.. Et quidem censuræ nomen ad hæc significanda non nisi recentioribus sæculis, sive circa tempora Gregorii IX. adhiberi consuevit; etenim olim per varias periphrases illa explicabantur, nimirum dicebantur canonica districtio, can. 23. dist 86., can. 21. caus. 12. quæst. 2., can. 2. caus. 15. quæst. 7., districta ultio, can. 19. caus. 24. quæst 3., canononica pœna, cap. 29. de simonia, gladius spiritualis, can. 2. caus. 15. quæst. 6., juncto capite 6. de sentent. excomm. in 6., pœna spiritualis, can. 1. caus. 24. quæst, 3.. nervus ecclesiasticæ disciplinæ, cap. 5. de consuetudine, quod & usurpatum est in Tridentino Concilio sess. 25. de Ref. cap. 3., felix mucro, can. 1. in fine caus. 16. quæst 2., quod & usurpatum est in Lugdunensi Concilio cap. 6. de sent. excomm. in 6., ferrum putridas carnes secans, cap. 18. caus. 24. quæst. 3, separatio morbidarum ovium a sanis, ean. 17. caus. 24. quæst. 3., & pœna medicinalis, can. 18. caus. 2. quæst. 1., quod & legimus in Lugdunensi laudato Concilio in cap. 1. de sentent. excomm. in 6.. Ut plurimum autem quæcumque censura appellabatur communi, & generali nomine excommunicatio. Quemadmodum enim excommunicationis vocabulum ex sui natura significat exclusionem a communione, ita facile usurpari potuit ad demonstrandum quem-

cumque modum, quo quis vel omnino a communione Ecclesiae, vel a certa communionis specie removeretur. Porro communio sacerorum tot in species distinguitur, quot sunt species iurium, ac bonorum, quae sunt in Ecclesia. Igitur sive Clericis interdiceretur, ne officio suo ordini competentia obirent, neve de Ecclesiastico peculio participarent; sive laicis interdiceretur, ne Ecclesiam ingrederentur, ne divinis interessent in conventu populi, excommunicatione dicebatur. In canone ultimo causa 2. quæst. 1., ubi a sacerdotali officio Clericos excommunicatos legimus, nomine excommunicationis aut suspensionem, aut etiam depositionem intelligimus, quemadmodum etiam occurrit in can. 9. dist. 28., in can. 6. dist. 32., in can. 21. dist. 50., in can. 29. caus. 7. quæst. 1., & in can. 2. caus. 24. quæst. 3.. Memoratur insuper excommunicatione in can. 10. dist. 50., ubi tamen non proprie quidem interdictum, sed quædam interdicti species, ac similitudo comprehenditur. Id adeo verum est, ut Gregorius IX., & sequentes Decretalium Collectores sub titulo de sententia excommunicationis multa congesserint non solum de vera, & specialiter dicta excommunicatione, sed etiam de suspensione, & de interdicto, immo & de depositione, quasi hæc omnia sub nomine generali excommunicationis tunc comprehenderentur. His adjicitur, adeo verum fuisse excommunicationem illa ætate complecti consueisse & suspensionem, & interdictum, ut Bonifacius VIII. in cap. 13. de sent. excomm. in 6. minime dubitaverit asserere, ea, quæ de excommunicatione olim statuta fuerant, intelligi etiam statuta de suspensione, & de interdicto oportere.

Primum igitur nomen censuræ sub finem duodecimi, aut sub initium decimi tertii sæculi usurpari proprio cœpit, nimirum temporibus Innocentij III., qua ætate tamen adhuc dubitabatur de vocabuli significatione, eamque ob rem

singulari rescripto ejusdem Pontificis definiendum fuit, censuræ nomine significari aut excommunicationem, aut suspensionem, aut interdictum, cap. 20. de verb. signif.. Evidem non ignoror, in vetustioribus, & jampridem editis canonibus censuræ nomen occurrere, uti in can. 13. dist. 12., in can. 7. dist. 56., in can. 10. caus. 2. quæst. 1., in can. 17., & 38. caus. 12. quæst. 2., & in can. 118. de consecr. dist. 4.. Sed in conspectu horum monumentorum statim liquet, ibidem censuræ vocabulum non id significare, quod hodie intelligimus, sed potius indicare sententiam Prælati, qua aliquis gesta notentur, & generaliter corrigantur inordinata subditorum opera, quicumque tandem esset modus correctionis. Sic in dicto can. 13. dist. 12. dicitur, fuisse quosdam corrigendos sub pœnitentiæ censura; in dicto can. 7. dist. 56. legitur, esse contra ecclesiasticam censuram, id est, contra disciplinam canonum, si forte quis innocens damnetur; in dicto can. 10. caus. 2. quæst. 1. statuitur, ut rei Episcopali censura, cleri emendatione corrigerentur; in dicto can. 17. caus. 12. quæst. 2. fertur Episcopus Burdigalensis censuram Pontificiæ institutionis poscisse, ex qua regulam sumeret, animadvertisendi in reum graviorum delictorum; in dicto can. 28. caus. 12. quæst. 2. censura dicitur constitutio ipsa in Illedensi Concilio edita, sancita, & promulgata; & in dicto canone 118. de consecr. dist. 4., eujuscumque sit auctoris, & auctoritatis, dicitur, pueros delinquentes non esse ordinaria poena puniendos, propterea quod censura, id est, providentia legum, eos excipit a coercitione. Hoc etiam sensu censuræ nomen usurpavit Justinianus Imperator, in l. 45. cod. de Episc., & Cler., ubi referens, Clericos majores ecclesiastie legibus a nuptiis arceri, leges ipsas ecclesiasticas Sacerdotiæ censuram nominavit.

Itaque censura, prout hodie accipitur, definiri belle potest nota quædam, ut plurimum personalis, aliquando vero loca-

lis, auctoritate Ecclesiæ inflita, qua fit, ut certis personis in criminum consuetudine per vicacibus interea interdicatur usu quorundam jurium ecclesiasticorum, modo plurimum, modo pauciorum, ut corrigantur, & ad demissam agendum pœnitentiam, & satisfactionem exhibendam, de qua abhuc Ecclesia spem non mediocrem habet, quasi adjectis vehementibus stimulis adducantur. Dicitur imprimis nota quædam, ut plurimum personalis, aliquando vero localis, ut distinguatur duplex censoriarum genus, ex quibus omnes in personas ferri possunt, nimirum & excommunicatio, & suspensio, & interdictum, una vero solum, nimirum interdictum, in loca infertur. Dicitur auctoritate Ecclesiæ inflita, ut indicetur, necessarium esse actum quemdam ecclesiasticæ potestatis, ut censura inferatur, qualis est aut lex publica Ecclesiæ, aut sententia, vel præceptum ecclesiastici Superioris jurisdictionem in foro Ecclesiæ externo exercentis. Hanc ob rem si quis sponte, vel ob privatam conscientiam criminis, vel ex animi devotione, & reverentia in res sacras a Sacramentis abstineat, censura non erit; quemadmodum nec censura est peccatum ipsum, quod legitimam Sacramentorum plurium susceptionem, aut ministerium impedit, propterea quod nemo in iis casibus speciali ecclesiastica auctoritate ab eorumdem Sacramentorum susceptione, ministeriove repellitur. Quod si Sacerdotes Sacramenti pœnitentiae ministri, pœnitentes quandoque jubeant, ne ad Eucharistiam accedant, removeant etiam a Sacramentali absolutione, non ideo hæc censura dicetur, sive quod hæc mandata ad internum tantum forum pertineant, sive quod in hac parte, non proprie jussio, & imperium Ecclesiæ sit, sed tantum proponant ecclesiastici ministri certas conditiones, quibus demum impletis juxta divinas institutiones Sacraenta rite percipientur, aut administrantur. Aliud autem est quosdam editio absoluto præcepto, jussu, imperio repelli a Sacramentis, quod fit per censuram; aliud declarare, ex jure divino non licere quibusdam accedere ad

Tom. IV.

Sacramento, nisi certis conditionibus; quemadmodum aliud est irregularitatis impedimentum, quo quis auctoritate Ecclesiæ a recipiendis ordinibus arcetur, aliud præceptum Ecclesiæ alicui factum, ne insuper habitis certis conditionibus ad ordines suscipiendos accedat.

Clarius adhuc explicari res potest.

Sunt in communione sacra duplices generis jura; alia, quæ non subsunt omnino ecclesiasticæ potestati, sed Deo servantur, alia, quæ a Deo institutore Ecclesiæ, libere eidem Ecclesiæ concessa sunt ita, ut pro Ecclesiæ ipsius arbitrio disponantur. Primi generis sunt intima conjunctio animæ cum Deo, quæ fit per gratiam, habitus fidei, spei, & charitatis, character Sacramentalis, præordinatio ad æternam vitam, & in eamdem æternam vitam admissio, atque his similia, quæ sane non alia sicut dari, ita nec tolli potestate possunt, quam divina; quamquam enim Ecclesia idem sit administra divinæ virtutis, quod contingit in Sacramentis per ecclesiasticos ministros collatis, in quibus & gratia sanctificans, & multa alia divina dona conferuntur, & character imprimitur Ecclesiæ ministerio, non tamen hæc omnino adeo pendent ab ecclesiastica potestate, ut semper effectus sequatur operante Ecclesia, aut Ecclesia non operante effectus nullus obtineatur, aut deleatur auctoritate Ecclesiæ, quod semel factum est. Quidquid enim sæpe, ac sæpius divina gratia prævenit quodcumque Sacerdotis officium, immo aut non amittitur, aut restituitur, Sacerdote etiam invito, ac reluctante? Quidquid character semel impressum in collatione Sacramentorum indelebilis omnino dicitur? Secundi generis sunt externa communitas Sanctorum, in Ecclesiam admissio, publicæ preces, ac suffragia, sepulturæ concessio, participatio beneficiorum, & alia hujusmodi bene multa, quæ sane omnino relicta sunt ecclesiasticæ potestati. Itaque censura illa dicitur, quæ privat bonis secudi generis quamquam non spoliet aut om-

Dd

nibus, aut etiam nullo ex bonis primi generis. Quæ cum ita sint, intelligimus facile, quid sit, censuram inferri oportere ab ecclesiastica potestate, respectu scilicet eorum jurium, ac bonorum, quæ libere relicta sunt ecclesiasticorum administratorum prudenti arbitrio, ac facultati. Hinc fit, non sufficere ad censuram, quemquam lethali peccato detineri, immo nec sufficere, quemquam gehennæ pœnis affligi ex divina sententia; bonum enim gratiæ, quo privat hominem letale peccatum, & bonum vitæ æternæ, quo privat hominem divina sententia, liberæ dispositioni Ecclesiæ relicta non sunt.

Dicitur insuper censura inferri, ut quibusdam personis &c., quamquam enim duplex censura sit, personalis, & localis, censura tamen localis utut ratione loci indicata fuerit, præcipue refertur ad personas, quibus interdicitur, ne in certo loco certa jura sacra, aut certis modis exerceant. Dicitur, personas censura notari, quæ sint criminum consuetudine pervicaces, ut indicetur, ordinariam censurarum causam in contumacia esse positam; si enim delinquens statim dolore percitus, veniam apud Deum, & apud Ecclesiam postulet, non censuris notari solet, sed pœnitentiis expiari. Quod si extra ordinem adhuc censura notari quandoque videantur atrocioris cujusdam sceleris rei, etiam si de illorum contumacia non satis constet, ad magis, magisque terrendos eos, qui enormia crimina admittunt, qui dum sentiunt secum agi, ac si ageretur cum contumacibus, facilius adducuntur ad petendam admissi veniam, & acerbius dolent de admisso, aliisque etiam in hoc exemplo sunt, ut ejus generis scelera detestabilius abhorreant; tunc istam saltem in hac parte non proprie censuram dicemus, sed pœnam; neque enim repugnat, ea jura, quibus aliquis spoliari ad tempus etiam incertum potest per censuram, ita suspendi posse, ut id in pœnam flectatur. Dicitur præterea censura notatis interea interdici usu quorundam jurium ecclesiasticorum, modo

plurium, modo pauciorum. Imprimis interea interdici, ut intelligatur, censuras non esse perpetuas, sed eo usque permanere, donec quis emendetur, & corrigatur. Quod si idemdem dicatur quis per certum, determinatumque tempus quadam excommunicatione, aut suspensione notari; excommunications istæ, aut suspensiones proprie censuræ non sunt, sed vel pœnitentiæ, vel pœnæ. Additur secundo usu, ut indicetur, censuram jura, quibus privat, non omnino de medio tollere, sed tantum, ne exerceantur, impedire. Sic patronus excommunicatus non amittit juspatronatus, tantum non illud exercet, ubi interea beneficium vacet, quo usque censura non sit absclutus. Sic Clericus suspensus a beneficio non amittit beneficium, tantum redditus interea non faciat suos, quales ficeret non suspensus. Subjicitur tertio, quorundam jurium ecclesiasticorum, ut explicetur, non omnia jura sacra censura posse deleri, sed tantum illa, quæ liberæ depositioni Ecclesiæ relicta sunt, uti modo observabam. Ubi additum est modo plurium, modo pauciorum, indicandum fuit, censuras non omnes esse pares, cum excommunicatio ex. gr. omnibus juribus ab Ecclesia pendentibus privet, non suspensio, aut interdictum. Et revera post suspensionis censuram, inferri adhuc tanquam gravior potest censura excommunicationis, cap. 10. de judiciis, cap. 8. de dolo, & contum., cap. 13. de vita, & hon. Cler., cap. 4. de jurepatron., cap. 1. 2. 3., & 4. de Cler. excomm. min., quod sane fieri nequirit, si omnia jura ecclesiastica essent suspensione sublata. Postrema definitionis verba ut corrigantur &c., designant finem censurarum, quæ non ad perdendum inferuntur, uti inferuntur pœnæ, sed ad corrigendum; qua in re observatur, ob eamdem causam censuras in eos infligi, de quibus spes bona esse possit, futurum, ut corrigantur; quæ spes si non esset, non censura, sed pœna inferatur.

CAPUT II.

De iis, qui possunt censuras inferre.

Non esse potestatem ordinis, sed jurisdictionis sacræ, eam, quæ exercetur in inferendis censuris, facile demonstrari potest ex principiis generalibus a me alias positis in tractatione de prioribus Ecclesiæ dignitatibus, & officiis. Cum enim ibidem statuisse, eam dici potestatem jurisdictionis sacræ, quæ ab jure gentium omnibus ubique Sacerdotibus concessa fuit apud omnes nationes, Sacerdotibus autem Judæorum divina auctoritate tributa, ac tandem in Evangelio a Deo translato in Apostolos, & Apostolorum successores, satis erit indicare, censuras non apud Christianos tantum, sed & apud Judæos, immo & apud alias gentes in usu fuisse, ut liqueat, veram & proprie dictam jurisdictionem in censuris infligendis exerceti. Apud gentes censoriarum quasdam species extitisse, belle probat testimonium Cæsaris in libr. 6. de Bello Gallico cap. 4., scribentis, hunc morem fuisse apud Germanos & Gallos: *Si quis aut privatus, aut populus, eorum (id est Sacerdotum) decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apudeos est gravissima.* Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum, & sceleratorum habentur: ab iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt, nequid ex contagione incommodi accipiant; neque iis potentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem &c.. Apud Judæos extitisse quosdam infligendarum censoriarum modos probat caput 23. Deuteronomii, item Joannes in Evangelio, dum refert in cap. 9. vers. 22., *Judæos conspiravisse, ut si quis Jesum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret, & in cap. 16. vers. 2., Christum Dominum prædixisse ea, quæ ex Judæorum odio Apostolis essent*

eventura, inter cætera, absque Synagogis facient vos, ut indicaret, Apostolos a consortio Judæorum repulsum iri, quæ sane species erat excommunicationis. Dum vero Christus Dominus Ecclesiæ fundamenta jecit, eam voluit esse in Ecclesia potestatem, Matthæi cap. 18. vers. 17., ubi mandavit, habendum esse tamquam æthnicum, & publicanum, qui Ecclesiam non audivisset. Hac ipsa facultate non semel usus fuit Paulus Apostolus, dum incestuosum Corinthium satanæ tradidit, prima ad Corinth. cap. 5. vers. 5. dum anathema esse voluit, qui Dominum Jesum non amaret, eadem epistola cap. 16. vers. 22., dum anathema esse jussit eum, qui aliud, quam Christi Evangelium, prædicaret, ad Galatas cap. 1. vers. 8., dum eum, qui Apostolicis præceptis non obtemperarent, notwithstanding esse clamavit, velut eum, cum quo nemo commiseretur, secunda ad Thessalonic. cap. 3. vers. 14.. Hinc sane fit, ut licet censura ex justitia inflicta liget homines etiam apud Deum, & in foro, ut ajunt, conscientiæ, can. 6. caus. 24. quæst. 1., a nemine tamen indici, infligive possit, quam ab eo, qui externam in Ecclesiæ jurisdictionem exerceat, cap. 2. de his, quæ fiunt a major. part. capit.. Quamquam enim Parochi, & Sacerdotes forum pœnitentiale nacti in eodem foro denegare peccatoribus aliquando valeant jus ad Sacra menta accedendi, ea tamen censura non dicitur; sive quod neminem in foro externo devincit, unde vulgaris traditio prodiit, peccatorem, cui absolutio in foro secreto, & pœnitentiali denegatur, non habere quidem jus Sacra menta petendi, habere tamen jus, si nihil aliud obsit, ut sibi publice petenti Sacra menta non denegentur; sive quod hæc pro-

prie censura non est, uti in capite præcedente observabam, & tantum in hac specie proponitur a Sacerdote, quid ex divinis mandatis agendum sit a peccatore, ut rite, & cum fructu accedit ad Sacra menta. Quod si in medium proferas canonem 6. caus. 16. quæst. 1., ubi Hieronymus Clericis universis facultatem videtur asserere eradicandi ab Ecclesia, immo & satanæ tradendi juxta monumentum Pauli Apostoli in un. ad Cor. cap. 12., intima agnoscenda est Hieronymiani fragmenti sententia. Ibidem sanctus Vir non sermonem instituit de singulis Clericorum gradibus ad distinguendas singulorum Clericorum potestates, sed comparat clericalem cum monastica vita, & cum facultatem excommunicandi Monachis denegat, tum eam Clericis tribuit; unde colligitur, tradidisse quidem Hieronymum, in Clero consistere excommunicandi facultatem exclusis aliis, qui clero adscripti non essent, non tamen eam asseruisse singulis Clericis etiam jurisdictione ecclesiastica destitutis. Facile erat respicere tunc temporis ad universum Clericorum Collegium, quo coeunte sub Episcopo ex Synodi totius sententia ut plurimum censuræ inferebantur. Quod si opponatur canon 11. caus. 2. quæst. 1., seu Novella Justiniani 123. cap. 11. confirmata in Concilio Parisiensi, can. 6. caus. 24. quæst. 3., ubi Presbyteris æque, ac Episcopis facultas excommunicandi conceditur, cum legitima subsit excommunicandi causa, facile intelligetur de Presbyteris aut sententiam Episcopalem promulgantibus, aut etiam consilium, suffragiumque ferentibus excommunicanti Episcopo, aut denique de Presbyteris eam jurisdictionem singulari jure nactis, veluti cum Sede Episcopali vacante iis jurisdictione Episcopalis adquiritur. Si insuper objiciatur Gratiani auctoritas initio quæstionis 6. caus. 26., tradentis, excommunicatum ab Episcopo, eo inconsulto ab alio reconciliari non posse, nisi a Metropolitano, vel a Pontifice Maximo, quod ex eo pro-

bat, quia Presbyteri potestatem excommunicandi, vel reconciliandi ab Episcopis accipiunt; dicendum erit, ibidem non asseri Presbyteris ordinario jure facultatem excommunicandi, sed tum demum, cum extra ordinem fuerit Presbyteris ab Episcopo demandata. Si præterea adferatur in contrarium capitulum 17. de restitut. spoliat., ex quo liquet, probatum fuisse jus Parochiale ex potestate inferendæ censuræ, statim ibidem deprehenditur, de Episcopo sermonem institui, qui & jus Parochiale simul, & Episcopale sibi in certa Ecclesia vindicabat. Denique si in cap. 2., & 3. de offic. judic. ordin. Sacerdotibus quibusdam, aut Plebanis dicitur competere facultas ferendæ excommunicationis, vel interdicti, de iis Sacerdotibus intelligenda sunt, qui singulari titulo hujusmodi facultatem adquisivissent; neque enim repugnat, potestatem jurisdictionis, quæ in Episcopis ordinaria est, competere extra ordinem aliquando Clericis inferioribus, puta vel consuetudine, vel præscriptione, vel privilegio, argumento cap. 13. de foro competente.

Itaque ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinet censurae inferre, ex quo duo principia stabilienda sunt, quorum primum est, eam facultatem adquiri a laicis nullo modo posse, id est, ab iis, qui omnino sunt extra clerum; alterum est ad eamdem facultatem exercendam non requiri certum ordinem, aut Episcopalem, aut Sacerdotalem. Primum facile constat generaliter ex cap. 2. de judiciis, specialiter autem ex can. 1. vers. Maximus dist. 96., & ex cap. 10. de judiciis. Suffragatur recta ratio; etenim uti censura privat bonis spiritualibus ecclesiasticis, ita ab eo tantum indici potest, cui bonorum eorumdem spiritualium administratio divino jure commissa esse, quales sunt Clerici in consortium administrationis sacerorum vocati. Neque oppositas capitulum 12. de major., & oœa., uoi species proponitus

de Abbatissa, quæ certos Clericos suspendit; siquidem quæ ibidem suspensio commemoratur, proprie censura non est, tantum est præceptum Abbatissæ dengantis, in Ecclesia Monasterii officium a Sacerdotibus peragi, aut Sacerdotes fructus beneficij a Monasterio exigendos percipere. Quidquid enim proponitur, Clericos illos noluisse Abbatissæ obtenerare, ex eo quod ab Abbatissa excommunicari non poterant? Argumentum id est, quo concluditur, ab Abbatissa censuram inferri nequivisse; quod magis ex eo confirmatur, quod adversus Clericos eosdem inobedientes jubeatur Ordinarius inferre censuram, si contemnere Abbatissæ monita perrexissent. Profecto supervacua fuisset ulterior Ordinarii censura, si jam vera censura coerciti Clerici fuissent Abbatissæ auctoritate. Cæterum generaliter verum est, hos, aut similes conatus Abbatissarum quarundam sibi certas abrogantium ecclesiasticæ jurisdictionis species fuisse sacris canonibus improbatos, argumento capituli 10. de pœnit., & remiss.. Alterum principium, quo definitur, ad ferendas censuras non requiri ordinem Episcopalem, facile constat ex cap. 15. de election., ubi statuitur, posse Episcopum electum confirmatum, utut necdum consecratum, Clericos censura notare. Constat insuper ex cap. 13. de offic. jud. ordin., ubi non denegatur Capitulis Cathedralium Ecclesiarum facultas ferendi censuras, ubi hanc legitimo titulo adquisivissent. Constat etiam ex cap. 1. 11. 29. de offic., & pot. jud. deleg., ex cap. 7. de offic. legati, & ex cap. 10. de major., & obed., in quibus adparet, delegatos, vel legatos Pontificios indiscriminatim, etiam si Episcopali ordine non sint insigniti, posse censuras infligere, propterea quod a Pontifice Maximo mandatam jurisdictionem valeant exercere. Nonne in dicto cap. 10. de major., & obed., Priori cuidam assentitur facultas inferendi censuras in Canonicos Ecclesiæ suæ? Nonne in cap. 11.

ead. tit., Cardinalibus in Ecclesia sui tituli generaliter ea potestas conceditur? Nonne in cap. 2., & 3. de offic. judic. ordinar., eadem potestas competere jure dicitur Sacerdoti, aut Plebano, qui sane singulari titulo eam adquisiverat? Neque aliam ob causam puto, hujusmodi facultatem denegatam Canonicis, de quibus agitur in cap. 2. de his, quæ fiunt a maj. parte capit., nisi quod nullo singulari jure Canonici illi eam sibi competere ostendissent.

Positis his generalibus regulis, multa fluunt consectaria. Et primo colligimus, attento jure Decretalium, Episcopos ante consecrationem confirmata electione posse censuras inferre, cap. 15. de elect.. Dico, attento jure Decretalium, quia aliud obtinuit post extravagantem 1. de elect. int. comm., quibus in Provinciae ea recepta est. Secundo colligimus, in neminem posse eam potestatem exerceri, nisi qui jurisdictioni subjiciatur, ejusdem jurisdictionis modo servato, cap. 11. 29. de offic., & potest. jud. deleg., cap. 7. de offic. legati, cap. 10. 11. de major., & obed., cap. 21. de sentent. excomm.. Tertio, Vicarios Generales a Prælatis eam facultatem habentibus constitutos, etsi Sacerdotio minime initatos, item Cardinales, atque Abbes non Presbyteros seu sacerulares, seu regulares in Ecclesiis, in quibus Episcopalem jurisdictionem exercent, censuras jure inferre. Quarto colligimus, nihil repugnare, quominus superior jurisdictione, licet ordine minor sit, notet eum censura, qui minor sit jurisdictione, & ordine major, quemadmodum contingit in Vicario generali Archiepiscopi jurisdictionem exercente in Episcopos suffraganeos, argumento canonis 1. dist. 34., can. 3. caus. 6. quæst. 4., & cap. 52. de sent. excomm. quamquam tamen fatendum sit, magis decorum, & honestum existere, si in eo causarum genere Archiepiscopi perse sententiam ferant, argumento canonis 4. 5. 6. 7. 8. 9. dist. 21., eam-

que ob rem Pontifices Maximi aliquando quibusdam Suffraganeis indulserunt, ut ab Officialibus Metropolitanorum censura notari non possent, cap. 1. in fine de offic. judicis ord. in 6.. Quinto, censuram extra territorium etiam in subditos latam nullum effectum habere, cap. 2. de const. in 6., licet censura personalis in territorio lata subditos semel notatos deinde quocumque abeuntes afficere pergit, can. 24. caus. 7. quæst. 1., cap. 1. de raptor., cap. 16. de sent. excomm. in 6.. Exceptio est in eo, qui a diœcesi abest adversus residentiæ leges; etenim in causa ipsa violatæ residentiæ, licet absens, censura notari poterit, cum inspiciatur tunc non locus, in quo persona invenitur, sed locus delicti, sive deserti contra leges officii, cap. 11. de Cler. non resid.. Eo autem minus poterit quis alienum subditum censura notare, argumento canonis 1. & 2. caus. 6. quæst. 3., nisi iste deliquerit in illius diœcesi, can. 4. 3. caus. 6. quæst. 3., vel nisi diœcesanus consentiat, can. 7. caus. 9. quæst. 3.. Sexto colligitur, Episcopos, sicut nec cætera Ecclesiæ suæ graviora negotia gerere, ita & hanc censuras inferendi potestatem non posse exercere sine consensu sui Capituli, ubi viget adhuc jus Decretalium, cap. 1. de excess. Prælator., ac proinde mortuo Episcopo eam potestatem ad Capitulum devolvi. Septimo, sicut Archiepiscopus regulariter nequit jurisdictionem exercere in subditos Suffraganorum, nisi in causa appellationis, ita eundem non posse, nisi in causa appellationis, in subditos Suffraganorum censuras infligere, cap. 5. de sentent. excomm. in 6., cap. 1. §. ult. de foro compet. in 6.. Octavo, non posse Episcopos in Officiales, vel Nuntios Apostolicæ Sedis, quasi privilegio singulari sui muneris exemptos, censuræ sententiam pronuntiare, quamquam valeant de eorum gravioribus admissis Pontificem Maximum certiore facere, ut idem Pontifex causa cognita in illos

animadvertat, extravag. 3. de hæreticis int. comm.. Nono, quamquam olim etiam in hac parte Monachi Episcopis subjacerent, can. 6. 9., & 17. caus. 16. quæst. 1., ob recentiores tamen exemptiones, & privilegia, Monachos ab Episcopis censura notari non posse. Exceptio vetus fuit, si Monachi extra claustra vagentur, isti enim privilegio Cœnobii sui uti nequeunt, cap. 21. de privileg.. Aliam exceptionem adjecerunt Patres Tridentini gratia Ordinariorum, qua scilicet, non obstantibus Monachorum exemptionibus, Episcopi promulgant etiam in Ecclesiis Monasteriorum censuras a se legitime latas, sess. 25. de Regular. cap. 12.. Generalis quoque est exceptio in iis omnibus causis, in quibus Concilium Tridentinum voluit, Monachos Episcopis iterum esse subiectos, aut abrogatis in ea parte privilegiis, atque exemptionibus, aut constitutis Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis; frustra enim Concilium Tridentinum excitavisset episcopalēm jurisdictionem in iis speciebus, nisi & in eisdem facultatem fecisset coercendi censuris obstantes, ac contumaces. Olim quæstio erat, an Monasteria exempta dicerentur ex eo, quod in protectionem Sedis Apostolicæ recepta fuissent; & in ea definitum fuit, Sedis Apostolicæ protectionem in causa esse, ut Monachi ab Ordinariis locorum neque excommunicari, neque interdicti possent, in cæteris autem obnoxii manerent, cap. 18. de privileg., cap. 1. de verb. signif. in 6.. Ali quando præter Monachos plurimi extiterunt, qui simili privilegio gaudebant, cap. 16. de privileg.. Sed deinde hæc privilegia abrogata fuerunt, integris tamen manentibus iis, quæ Regibus, Regumque familiis competenter, & quæ gratia seu Cœnobiorum, seu Collegiorum concessa fuissent, cap. 5. eod. tit. in 6.. Decimo denique colligitur, delegatos ad certam causam facultatem eo ipso nancisci, inobedientes litigantes censura notandi, etiam si expressa in man-

dato non fuerit, ne alias jurisdictione irrita sit, & inanis, cap. 5. 7. 11., & 29. de offic., & potest. jud. deleg..

Duo adhuc observanda sunt, quorum primum respicit Ordinarios jurisdictionem in certa Diocesi habentes; alterum respicit eos, qui singulari toto facultatem ferendarum censurarum nacti fuerint. Ad Ordinarios spectat, quod tradi solet, tum demum eos posse censuram inferre, cum censura ipsi irretiti non sint. Si tamen & ipsi censura tenentur, distinguendum est inter censuras, & censuras. Sunt enim ex censuris aliquæ, quæ jurisdictione privant, aliæ, quæ hunc effectum non habent. Privant jurisdictione excommunicatio major, & suspensio ab officio; non privant autem aut excommunicatio minor, aut suspensio, quæ sit tantum ab ordine, vel beneficio integra manente officii administratione, quemadmodum nec privat interdictum. Igitur irrita erit censura, quotiescumque feratur a Praelato, vel excommunicato excommunicatione majore, vel suspenso ab officio; rata e contrario erit, etiam si feratur ab excommunicato excommunicatione minore, aut ab interdicto, aut a suspenso ab ordine tantum, vel beneficio, integra manente officii administratione. Perspicuum id fit perpendenti, facultatem ferendarum censurarum jurisdictioni cohærere; propterea non amitti, nisi quibus in casibus jurisdictione auferatur. Ad eos, qui singulari titulo facultatem adquisiverunt censurarum inferendarum, spectat, ip-

sos non semper censuras omnes inferre. Quamquam enim, si privilegium generale demonstrent, aut alium singularem titulum potestatis censuram in universum ferendarum, nulla dubitatio sit, quin ampla habeatur eorum potestas, & ad omnes censurarum species referatur; quid tamen, si excommunicandi tantum, aut suspendendi tantum, aut interdicendi tantum quæsivisse potestatem demonstrent? Num quod de una censoræ specie edocetur, ad alias extendetur? Plane si quis demonstret, adquisivisse facultatem excommunicandi, satis erit, ut probatum etiam sit, eo ipso illo tempore facultatem & suspendendi, & interdicendi; etenim excommunicatio in se & suspensionem, & interdictum complectitur, quo referri possunt tres illæ juris regulæ, prior: *Plus semper in se continet, quod est minus;* posterior: *Cui licet plus, licet etiam, quod est minus;* postrema: *In toto partem non est dubium contineri,* cap. 35. 53, & 80. de reg. jur. in 6.. Non tamen e contrario qui demonstrat, se adquisivisse facultatem interdicendi, eo ipso & tacite demonstravit, se etiam adquisivisse facultatem excommunicandi, aut suspendendi; quemadmodum nec qui demonstrat, se adquisivisse facultatem suspendendi, tacite & eo ipso demonstravit, se etiam adquisivisse facultatem excommunicandi, aut interdicendi, argumento capituli 12. de major., & obed.. Neque enim in interdicto suspensio, in suspensione interdictum, in alterutra, aut in utraque censura, excommunicatio continetur.

CAPUT III.

De iis, qui possunt censuris coerceri.

TRia observanda sunt, ratione habita personarum, quæ censuris notari possunt. Imprimis enim aliqui sunt, qui omnino nequeunt censuris coerceri. Deinde sunt aliqui, qui certis quidem censurarum speciebus, non tamen omni-

bus obnoxii sunt. Denique sunt aliqui, qui, quamquam omnibus censuris subjici queant, non tamen subjacent, aut ratione habita certorum Praelatorum censuras inferentium, aut ratione habita eorum, quibuscum commorantur, aut ra-

tione habita legis generalis, in qua comprehensi non intelliguntur, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Duæ priores observationes in hoc principio collocatum fundamentum habent: nimirum cum censuræ ita inferantur, ut interdicatur certis Ecclesiæ bonis, aut juribus; nullo modo injici censura potest in eos, qui eisdem juribus gaudere minime possunt, nec propterea possunt spoliari. Postrema observatio altero principio innititur, quod certæ personæ sint, aut dignitate speciales, aut privilegiis specialibus insignitæ, quas lege generali censuram inferente comprehendendi vel dignitas ipsa, vel privilegium minime patitur.

Itaque imprimis aliqui sunt, qui censuris, omnino coerceri nequeunt. Quod ut perspicue explicetur, ponendum initio est generale principium, quo statuatur, eos omnes posse censura notari, qui sunt in Ecclesia, can. 10. dist. 69., e contrario neminem ex iis notari posse, qui extra Ecclesiam consistunt. Cum enim ii dumtaxat, qui in Ecclesia sunt, iuribus, & bonis illis potiantur, quibus censura interdicitur, quomodo censura notabuntur illi, qui nunquam in Ecclesia extiterunt? Hinc Paulus Apostolus ab Augustino laudatus in can. 18. caus. 2. quæst. 1. ajebat: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* In conspectu hujus traditionis forte aliquibus difficultatem ingeret, aut capitulum 13., & 14. de Judæis, aut capitulum 12., & 18. de usuris, ex quibus adparet, aliquando Judæos fuisse excommunicatione coercitos. Ego in his speciebus agnosco quamdam excommunicationis imaginem, non veram, proprieque dictam excommunicationem. Est imago quædam excommunicationis in eo, quod feratur ea sententia ad contundendam contumaciam Judæorum; quod tempus habet definitum, eo usque proiecta, quo Judæi a temere factis resipiscant; quod certis juribus, quorum illi capaces sunt, interdicatur. At proprie censura excommunicationis non est, sive quod quæ ab

Judæis communio aufertur, non est communio sacra, sed civilis in commerciis consistens, sive quod ea pœna non directo fertur ab Ecclesiæ auctoritate, sed potius Principum patrocinio etiam implorato, dicto cap. 18. de usuris vers. *Principibus*, sive denique quod non directo fertur in Judæos, sed potius Christianis mandatur, ut ab Judæorum commercio prorsus abstineant, ut liquet ex omnibus laudatis monumentis. Ut paucis dicam, quoties Judæi in certo loco consistunt, iis civilia negotia permittuntur, in quibus communionem habent cum Christianis. Interest aliquando in Judæorum pœnam hac communione interdicere, qua Judæi fruuntur: verum hæc proprie excommunicatio dici nequit, sed quoddam veluti excommunicationis simulacrum, eadem fere ratione, qua in cap. 11. de constitut., instar censuræ dici potest privatio cujusdam officii minime sacri, quæ tamen censura non est, & tantum habet censuræ imaginem, quod eadem forma illata fuit, qua solent inferri censuræ. Erit ergo potius pœna quædam civilis, & temporalis ad emendationem illata, quæ ideo confertur in tempus indefinitum.

Secundo aliqui sunt, quibusdam quidem censoriarum speciebus, non tamen omnibus obnoxii habentur. Quamobrem disinguenda sunt varia hominum genera, status, aut rationes, ut dignoscatur, quæ species censoriarum singulis convenient. Imprimis observandum est, constare hominem ex anima, & corpore: hinc quædam censuræ & animam, & corpus afficiunt, quædam in animam tantum feruntur. Sic major excommunication, & interdictum tenet etiam corpus post mortem, ita ut cadaver excommunicati, & interdicti nequeat ecclesiastica sepultura donari, quin tamen aut excommunication minor, aut suspensio corpus afficere valeat. Insuper observandum, hominum alios viventes esse, alios defunctos. Viventes quidem censuris omnibus notari possunt; at de-

functi notari quidem possunt excommunicatione majore, aut interdicto, minime vero excommunicatione minore, aut suspēsione; etenim defuncti incapaces sunt illorum jurium, quibus privant aut excommunicatio minor, aut suspēsio, capaces autem sunt jurium, quibus privat interdictum, veluti sepultura ecclesiastica, aut quibus privat excommunicatio major, veluti publicæ preses, & orationes, quæ fiunt pro defunctis, & ecclesiastica sepultura. Id tamen ita intelligitur, ut excommunicatio major, vel interdictum post mortem inflictum non proprie censura sit, sed potius poena, propterea quod non ad corrigendum, & emendandum, sed ad puniendum infligitur. His proximum est, suspensionem, & excommunicationem minorem vi ipsa mortis notati interire; excommunicationis autem majoris, & interdicti censuras in viventes latas etiam post mortem durare, quo usque absolutione deleantur, quæ eatenus post mortem censuræ dici possunt, quatenus verum fuit, ad corrigendum, & emendandum ab initio fuisse infictas, can. 1. 2., & 3. caus. 24. quæst. 2., cap. 28. de sentent. excommun. cap. 12., & 14. de sepultur.. Notatu dignum est hac in re, communionem sacrorum duplicis generis esse, aliam juris, quæ scilicet aliqui jure competit, veluti fidelibus innoxii, aut graviorum criminum minime reis; aliam tantum facti, qua gaudent, qui graviorum criminum consci sunt, & censura digni, quamquam censura necdum in ipsos publicata fuerit, quia forte crimen adhuc occultum est, nec perspicue probatum. Sane ubi quis & jure, & facto communione gaudebat, eadem post mortem privari nequit; secus, si facto tantum gaudebat, non jure, poterit censura notari, can. 6. caus. 24. quæst. 2.. Quandoque vero contingit, ut qui in communione Ecclesiæ decessit, revera in communione non sit, & contrario, propterea quod in rebus facti Ecclesia modo hu-

mano procedit, & eum credere potest in communione existere, qui non existit, & e contrario eum a communione repellere, qui adhuc in communione consistit, quemadmodum scribebat Innocentius III. in cap. 28. de sent. excomm.

Præterea observandum est, duplum hominum rationem existere, prout homines, vel singuli atque in propria persona considerantur, vel considerantur in communi tanquam Universitatem, vel Collegium componentes. Hinc quamquam censuræ omnes ferri in singulorum personas possint, nimirum & excommunicatio, & suspēsio, & interdictum, non tamen omnes, sed aliquæ tantum ferri possunt in corpora, id est, Collegia, atque Universitates. Sic neque Universitas, neque Collegium excommunicari potest, can. 1. caus. 24. quæst. 3., cap. 5. vers. In universitatem de sent. excomm. in 6., quamquam suspendi valeat, aut interdicere, cap. 11. de sponsal., cap. 13. de privileg., cap. 16. de sentent. excomm. in 6.. Regula hujus ratio est, quia excommunicatio animam penitus afficit, quam in discrimen æternæ salutis adducit, cujus sane periculi capacia Collegia non sunt, & Universitates; alias autem non decet, excommunicari singulos de Collegio, aut Universitate ob delictum Collegii, aut Universitatis, uti recte notabat Bonifacius VIII. in dicto cap. 5. de sent. exc. in 6., inhærens S. Augustini vestigiis, qui in dicto can. 1. caus. 24. quæst. 3. improbaverat factum Episcopi integrum familiam excommunicantis. Et revera delicta Universitatum, Collegiorum, ac familiarum dicuntur, quæ admissa sint a majore parte, sive ex majoris partis consensione, etiam si aliqui non coierint; est autem absurdum, aliquem in discrimen salutis æternæ adduci, qui innoxius est, neque potuit multitudini obsistere. Verum enim vero adhuc deliberandum est in contextu capituli 22. de præbend., & capituli 11. de exception., in quibus

species proponi videtur Collegii Canonicorum excommunicatione notari. Sunt, qui putant, ante Bonifacium VIII. viguisse, ut Capitula possent excommunicari, quasi primum id vetitum fuerit ab eodem Bonifacio in dicto cap. 5. Mihi hæc opinio non placet etenim ratio a Bonifacio adjecta in dicto cap. 5. perpetua est, nec modum ullum temporalis disciplinæ recipere potest; cum enim ait ipse, ex excommunicatione Collegiorum emergere gravissimum animarum detrimentum, propterea quod in Collegiis innoxii quidam sæpe sint, quorum animos excommunicatione ligare absonum est, indicat, numquam id recipi potuisse: atque ante Bonifacium jamdiu id tradiderat laudatus Augustinus in dicto can. 1. caus. 24. quæst. 3. Verosimilius est dicere, in dicto cap. 22. de præbend. non agi de Capitulo excommunicato, sed de excommunicatis singularibus Canonicorum personis, qui mandato Apostolico contradixissent, uti verba rescripti demonstrant; aliud autem est, Collegium, aliud, personas singulares de Collegio, illas nimis, quæ gravis innobedientiae rex sint, excommunicari. Item verosimilius esset dicere, in dicto cap. 11. de exceptione nomine excommunicationis non intelligi veram, & proprie dictam excommunicationem, sed potius suspensionis censuram. Et quidem veteres aliquando suspensionem appellaverunt nomine excommunicationis, ex eo, quod suspensio certa communionis ecclesiasticæ iura auferret, & generale excommunicationis nomen sæpe, ac sæpius ad alias singulares censuras referretur, uti superius observatum est, & inferius adhuc demonstrabitur. Nihil igitur mirum, si suspensa Capitula quasi excommunicatione notata aliquando Pontifices Maximi appellaverint. Neque hæc interpretatio repugnat verbis laudati rescripti. Quod enim dicitur in dicto cap. 11. contra Collegium Canonicorum propositam fuisse exceptionem excommunica-

tionis, ne in judicio appellationis ageret, commode intelligi potest de suspensione ab administratione reddituum Capitularium, de qua dubitari poterat, an Capitulum ab agendo rejiceret. Clarus adhuc dicam, excommunicationis plures effectus esse; imprimis enim ii sunt, qui & suspensioni, & interdicto communes habentur; item est etiam de negatio communis orationis, precum publicarum, & salutationis officiorum; est denique damnatio animarum. Piores quidem effectus omnes potest in Collegiis exercere excommunicatio, non postremum. Proindeque concludi potest, valuisse olim induci in Collegia excommunicationem, quod attinet ad priores effectus, non quod spectat damnationem animarum, hæc enim non Collegium ipsum, sed singulares potius personas afficeret. At excommunicatio prioribus effectibus tenus, quid aliud esset, quam suspensio a Capitularibus officiis in communi exercendis? Quod si excommunicatio appellata est, id tribuendum ætati illi, qua omnes censuræ sub excommunicationis nomine pronuntiabantur. Simile hujus rei argumentum habetur apud S. Augustinum in can. 8. caus. 17. quæst. 4., ubi ob delicta patris familias ipsam familiam excommunicavit; & quamquam alibi, nimis in dicto can. 1. caus. 24. quæst. 3., monuit, ne tota familia ex delicto patris excommunicaretur, illic tamen, seu in dicto can. 8. quod attinet ad certos effectus, id est, ad effectum non recipiendarum oblationum, ad universam familiam excommunicationem patris extendit. Quod de Collegio dictum est, id ipsum dicas de officio, vel munere publico: suspendi quidem, aut interdici officia possunt; at si de excommunicatione agatur, hac tantum notari poterit persona officium exercens, si in officio deliquerit, & successorem in officio excommunicatio non afficiet. Tantum excommunicari etiam poterit successor in officio, quo casu intra certum tempus non satisficerit Ecclesie,

aliisve læsis ex administratione prædecessoris, cap. 7. de immun. Eccles..

Observandum itidem est, duplicem esse fidelium ordinem, quorum aliqui Clerici sunt, vel prope ad Clericos accedentes Religiosi, quales sunt Monachi, Sanctimoniales, & qui administrationem hospitalium gerunt parabolani, aliqui extra Clerum, & Religiosum singulare officium constituti, quos laicos passim appellamus. Hinc quædam censoræ sunt, quibus uterque ordo notari potest, nimirum excommunicatio, & interdictum. Est e converso censura suspensionis, qua tantum notatur ordo Clericorum, aut Religiosorum; hoc inter Clericos, & Religiosos intercedente discrimine, quod Clerici & ab ordine, & ab officio, & a beneficio suspendi possint, Religiosi autem suspendantur tantum ab officio, seu ab administratione, item ab iure electionis, si quod habeant, item a beneficio, cuius forte jure potiantur, qualia sunt regularia beneficia; addere potest a præstimoniiis, & pensionibus; nunquam autem ab ordine, nisi agatur de Monachis, qui utramque viam & clericalem, & monasticam profitentur. Profluent hæ regulæ ex ipsa rei natura, quæ suadet, quemquam ab iis tantum juribus repellri, quibus fruitur, aut frui potest. Denique observandum est, diversam haberi oportere rationem locorum, & personarum; quamquam enim personæ possint omni censura notari, nimirum excommunicatione, suspensione, & interdicto, loca tamen non alia censoriarum specie notari possunt, quam interdicto.

Tertio aliqui sunt, qui quamquam omnibus censoris obnoxii esse valeant, non tamen subjacent aut ratione habita certorum Prælatorum censoras inserentium, aut ratione habita eorum, qui buscum commorantur, aut ratione habita legis generalis, in qua comprehensi non intelliguntur, nisi de ipsis specialis mentio fiat. Ratione habita Prælatorum censoras inferentium, non subjacent censoris, primo, qui privilegio

singulari id obtinuerunt, ut vel nulla, vel non omni censura a certo Prælato notari queant, cap. 9. 16. 21. de privileg., cap. 5. eod. tit. in 6., qua in re privilegiati etiam intelliguntur, qui in speciale protectionem Pontificis Maximi recepti sunt, cap. 1. de verb. sign. in 6., quamquam tamen privilegiati, si in censoras ipso jure latas incurrerint, possint sententia Ordinarii, ut censura notati, non obstante privilegio, declarari, Clement. 1. princip. de privileg.. Et quidem ubi privilegium certis personis competit, ne censura notari ab Ordinario queant, ne indirecte quidem censura ferri ab Ordinario poterit, ex. gr. prohibendo subditis, ne cum exemptionis communicent, cap. 26. de privileg.. Quid enim interest, an quis directo a communione repellatur, an, omissis directis verbis in aliquem, prohibeantur cæteri, ne cum eo communicent? Tantum hæc excommunicandi ratio recipi potuit, ut superius dictum est, adversus Judæos, qui directo excommunicari nequeunt, & quorum nulla esse debet gratia; ac vero si reciperetur adversus privilegiatos, res eo referretur, ac si isti nullum privilegium obtinuerint. Insuper definitum est, minime expedire, ut Vicarii Generales Archiepiscorum censora notare valeant Episcopos suffraganeos, quibus cum censura immineat, ea ferenda erit ab Archiepiscopis ipsis, cap. 52. de sent. excomm., cap. 1. in fine de offic. ordinari. in 6.. Præterquamquod id postulat dignitatis Episcopalis, & honoris in Episcopos deferendi ratio, deduci id ipsum potest ex germana veterum canonum disciplina. Etenim olim hæc facultas Metropolitanis competebat tantum in Provinciali Concilio, can. 1. dist. 34. can. 1. 2. 3. 5. caus. 6. quæst. 4., can. 6., & 7. caus. 11. quæst. 3., & quamquam recentioribus sæculis, quibus minus frequentia fuere Provincialia Concilia, ita postulante necessitate, vel utilitate Ecclesiarum, penes unum Metropolitanum ea facultas solida reman-

serit, non decuit tamen, ut facile in Officialem Archiepiscopi transferretur. Receptum præterea est, ut quemadmodum Archiepiscopus, nisi in causa appellationis, censura notare non potest subditos suffraganeorum, ita nec Episcopus subditos suos post appellationem ad Metropolitanum factam censura notet respectu causæ, in qua fuerit appellatum, cap. 14. de sent. excomm. in 6., cap. 37., & 40. de appellation., quamquam etiam post appellationem Episcopus possit publice denunciare notatum, ubi crimen publicum sit, appellatione post latam censuram interposita non obstante, cap. 13. & 53. §. 1. de appellation..

Ratione habita eorum, quibuscum commorantur, aliqui sunt, qui lati censuris minime subjacent. Quod ut explicetur, observandum est, censuram modo valere tam respectu notati, quam respectu aliorum; modo respectu aliorum tantum, quin aliquis censura notatus dicatur; modo respectu notati dum taxat, quin alii eamdem censuram observare teneantur. Tam respectu notati, quam aliorum, censura effectum habet in vere notatis, & publice denuntiatis. Respectu aliorum tantum, quin aliquis notatus adpareat, effectum habet censura, ubi fideles prohibentur, ne communicent cum certa persona, quæ censura notari nequit, veluti cum interdicitur Christianis, ne cum Judæis

commercia ineant, juxta capitulum 13., & 14. de Judæis, capitulum 12., & 18. de usuris. Respectu notati tantum, non aliorum, valet censura, quoties quis censuram incurrit, nondum tamen denuntiatus est, siquidem quomodo censuram observare poterunt alii, qui inustam censuræ notam ignorant? cap. 28. de sententia excommunicationis.

Ratione habita legis generalis, in qua quidam comprehensi non intelligantur, nisi de ipsis specialis mentio fiat, statuit Lugdunense Concilium in cap. 4. de sent. excomm. in 6., quod & probavit Bonifacius VIII. in cap. 37. vers. Porro de elect. in 6., Episcopos non subesse aut suspensioni, aut interdicto ipso jure inficto in reos quorumdam criminum, nisi specialiter lata lege fuerint designati, ne forte contingat, ut ob Ecclesiarum administrationem, quæ eisdem competit, graviora incommoda ob suspensiones illas, & interdicta, in Ecclesiis inferantur. An de excommunicatione idipsum dicendum sit, adfirmare non audeo, cum expressa constitutione destituamur. Forte autem Lugdunense Concilium in dicto cap. 4. mentionem non fecit de excommunicatione, quia excommunicatio ob graviora crimina infligitur, quorum si rei Episcopi forent, opportunum esset, & ipsos generalis legis sanctionem non evadere.

CAPUT IV.

De criminibus, quorum causa censuræ inferuntur.

Quemquam poenitentiis peccata quæcumque etiam levissima expientur, & quæcumque delinquentium affectiones; non tamen sine discrimine peccata omnia, & delinquentes universi censuris coercentur. Duæ sunt in hoc proposito generales observationes. Prima spectat peccata ipsa, secunda respicit delinquentium personas. Si imprimis delicta ipsa consideramus, non aliter cer-

suis occasionem, & causam præbent, quam si vere lethalia sint, can. 8. 41. 42. caus. 11. quæst. 3., can. 7. dist. 56. est enim censura, uti de excommunicatione ajebant Tridentini Patres in cap. 3. sess. 25. de Reform., quidam veluti nervus ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutaris, ac propterea sobrie, magna que cum circumspectione exercendus, cum expe-

rientia doceat, si temere, aut levibus de causis incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Exceptionem nonnulli adjiciunt respectu excommunicationis minoris, quam ajunt incurrire etiam eum, qui cum excommunicato communicat ex ignorantia utut ex levi culpa proficiscente. Verum hoc mihi placere non potest; neque enim puto, excommunicatione minori notari, nisi qui communicet cum excommunicato scienter, ut statuitur in can. 16., & 17. caus. 11. quæst. 3., aut nisi communicet ignoranter quidem, sed crassa, & supina ignoratione, qua si legem ignoranter violaret, nihilominus gravis peccati reus haberetur, & quamquam in can. 18. caus. 11. quæst. 3. omittatur verbum *scienter*, quod legitur in præcedentibus canonibus, notandum est, in dicto can. 18. sermonem institui de excommunicatione Monachorum, uti canonis inscriptio docet, in quo excommunicationis genere frustra ignorantia a Monachis allegari potuisset, cum in eorumdem cœtu excommunicatione sodalis publicari soleret. Quod si quandoque contingat, ut communicans ignoranter cum excommunicato, utut culpe gravi ignoratio non adscribatur, creditur minorem excommunicationem incurrisse, id tantum habere locum poterit in externo foro, in quo quis præsumitur non ignoravisse excommunicationem, statim ac fuit sufficienter promulgata. Aliam exceptionem nonnulli adjiciunt respectu quarumdam excommunicationum minorum, quæ erant in usu apud veteres, & quarum exemplum indicant in can. 62., & 63. de consecr. dist. 1. cum similibus. Sed neque id placere potest, consideranti, in illis canonibus plecti eas inobedientias, quæ attentis quibusdam singularibus adjunctis graves tunc temporis esse poterant.

Debet præterea peccatum esse sensibile; nam peccata interna, & tantum in mente concepta non subjacent cen-

suris, quia censura est pœna potissimum externi fori, cum privet præcipue bonis Ecclesiæ exterioribus, & communibus, & Ecclesia in externo foro minime judicet de internis, can. 11. dist. 32. can. 20. caus. 2. quæst. 5. cap. 2. de offic. judic. ordin., cap. 33., & 34. de simonia. Notanda sane sunt in hac re discrimina, quæ intercedunt inter censuras ipso jure inflictas, atque ut vocant, latæ sententiæ, & censuras sententiæ ab judice ferendæ. Imprimis observo, censuras latæ sententiæ veluti cæteris atrociores, inferri debere, pro criminibus longe gravioribus, quam si agatur de censuris ferendæ sententiæ, nisi forte dum aliiquid statuendum sit de certo crimen, quod frequens sit, & quo interest quam citissime Ecclesiam purgare, aut nisi similia adjuncta postulent maiorem quamdam disciplinæ severitatem. Deinde observo, censuras ferendæ sententiæ, ut plurimum paratas esse ad corrigenda peccata habitudinis, neglectus diuturni disciplinæ ecclesiasticæ, & contumaciæ ad comparendum, adeo ut peccata ipsa gravia quidem sint, sed adhuc graviora videantur causa consuetudinis, vel contumaciæ. Cum enim censuræ acerbam speciem præferant, æquitas suadet, ut reus primum monitis corripiatur, juxta Christi mandatum cap. 28. Matthæi, & senioribus primum remediis, quoad fieri possit, ad emendationem, ac pœnitentiam adducatur. Præterea observo, id obtinere in censuris latæ sententiæ, ut in eas incurrat quicumque crimen occultum admiserit, dummodo externum, nec tantum mente conceptum, etiam si crimen non sit certis argumentis probatum; qua tamen in specie probari adhuc crimen debebit, ubi judex deventurus sit ad sententiam declaratoriam pronuntiandam: quamobrem ante delicti probationem, si occultum fuerit, afficiet quidem censura reum ipsum, quin tamen cæteri ea servare teneantur, quæ ex censura pendent juxta canonum definitiones. Aliter viget in

censuris ferendæ sententiæ, ad quas nunquam judex devenire potest, nisi crimen certum sit, manifestum, ac probatum, can. 12. caus. 2. quæst. 1., can. 41. caus. 11. quæst. 3., quin sufficiat, esse notum delictum in foro interno, can. 2., & 3. caus. 6. quæst. 2., cap. 2. de offic. judic. ordinar.. Ratio discriminis in eo posita est, quod aliud sit officium judicis, aliud potestas Legislatoris. Judex non nisi ex allegatis, & probatis sententiam pronuntiat; non ita Legislator, qui omnes hominum actus potest lege sua antevertere, eodem fere modo, quo etiam privati possunt sibi certam legem conventionibus dicere, qua statim obligentur, quamquam, si de judiciali obligatione agatur, judex eam imponere nequeat, nisi in judicio constet de certa causa, & lege probata. Tum vero manifestum, certumque in judicio crimen esse dicetur, cum reus in judicio vel confessus est, vel convictus, can. 1. 12. caus. 2. quæst. 1., can. 2., & 3. caus. 6. quæst. 2., can. 2. caus. 15. quæst. 5., can. 2. caus. 15. quæst. 7., cap. 14. de appellation., cap. 7. de cohabit. Cleric., & mulier.. Denique observo, singulare esse in censuris lafæ sententiæ, ut non aliter vires suas exerant, quam si crimen sit consummatum; etenim verba pœnaliū legum, & stricte interpretanda sunt, & cum effectu accipienda, cap. 4. de Cleric. non resid.. Nihil tamen prohibet, quominus Legislator potuerit crimen etiam non perfectum censuræ subjcere; quæ propterea locum habebit, si expresse in lege cautum deprehendatur, ut qui crimen cœperit, censuræ subsit; quemadmodum contingit in specie capituli 1. vers. *Sacri de homicidio* in 6.. Opponi solet in hanc rem capitulum 27. de simonia, ex quo constat, simoniacos haberi etiam illos, qui tantum promiserunt, se pecuniam daturos, etiam si cum effectu non dederint. At reponi imprimis potest, simoniam revera admitti eatenus, quatenus actus per simoniam admissus in irritum ca-

dat, non tamē ita, ut etiam censuræ adversus simoniacos indictæ locum inventiant; & revera in extravag. 2. de simonia, ubi censurarum fit mentio, dantes tantum & accipientes commemorantur. Quod si adhuc in eam opinionem ire velles, ut crederes, ipso factō etiam censuram imminere illis, qui tantum pecuniam promiserunt, dici potest, nomen simoniæ proprie etiam accommodari valere illis, qui beneficia, aut res sacras promissa pecunia contulerint, quasi etiam ante pecuniæ dationem, & receptionem simonia sit consummata, propterea quod & revera beneficium, aut res sacra intuitu pecuniæ concessa fuerint.

Pertinent hæc ad crimina ipsa per se considerata. At si considerentur ratione delinquentium personarum, plura sunt observatione digna. Et primo quidem generalis regula est, neminem posse censura notari, nisi sit criminis conscius, sive criminis causam dederit, ac consenserit; hinc qui tantum dedit delinquendi occasionem, censuræ notam evadit, argumento canonis 5. caus. 1. quæst. 4.. Secundo quæri solet, an quoties in certa crimina, sive in certorum criminum reos infligitur in jure censura, censeatur etiam inficta in eos, qui participes criminis sint, etiam si de istis expressa mentio non fiat. De eo sane, qui crimen ex alicujus mandato exequitur, vel de eo, qui mandaverit, ut crimen admitteretur, vel de eo, qui socius criminis est, nulla esse dubitatio potest, can. 4. caus. 15. quæst. 3. cap. 6. vers. *Illi vero, & cap. 29. vers. In primo de sent. excomm.. De iis disputari solet,* qui consilium dederunt, aut qui auxilium præbuerunt sine societate, seu animi consensione, aut qui cum impedire possent, minime impediverunt. Generalis regula est, hos non contineri lege censuram inferente, nisi expresse etiam de iis lex concipiatur, ita suadente recta interpretatione pœnaliū constitutionum, quæ angustis semper finibus coercendæ sunt, nec ultra extendendæ, quam verbis demons-

tretur. Neque obstat regula, quæ legitur in fine canonis 10. caus. 2. quæst. 1. his verbis expressa: *Facientem, & consentientem par pœna constringit*; etenim id pertinet singulari jure ad speciem judicis, qui detrectet restituere in pristinum statum eum, qui injuste dejectus erat. Reversa ibidem Nicolaus Papa suadebat iudici, ut inique dejectum restitueret, subjiciens, facientem, & consentientem pari pœna puniri, id est, pari crimine involvere se judicem detrectantem restituere ex officio, quo se involvit, qui dejecit. Simili ratione interpretari oportet capitulum 47. de sentent. excomm., ubi quod dicitur, eum, qui desinit, obviare, cum possit, subjacere excommunicationi, verum est tantum in eo, qui publica potestate pollet, aut quodam officio tenetur, qui sane cum non obviet, sed permittat, connivere, immo & consentire censemur, argumento cap. 6. vers. Et quidem de sentent. excomm. in 6.. Addi potest, in his canonibus, sive in dicto can. 10. caus. 2. quæst. 1., & in dicto cap. 47. de sentent. excomm. non perspicue tradi, censura etiam coerceri non impendentes, sed tantum gravis culpæ reos esse, & talis, ut censuram incurtere mererentur, argumento canonis 5. caus. 17. quæst. 4., & capituli 6. vers. Qui vero de homicidio. Dixi, aliud contingere, ubi qui consilium, aut auxilium præbent, qui non impediunt, aut fovent, expresse in lege contineantur. Hujusmodi sunt imprimis, qui hæreticis faciunt; etenim si isti hæresi alienæ adhæserunt, eo ipso hæretici fiunt, & crimen hæresis in ipsis plene consummatur, propterea quod hæresis crimen tale est, quod sola mente perficiatur, & externo Ecclesiæ foro subjicitur, statim ac sese exterius etiam verbo tenus prodit; si vero hæreticorum personis patrocinantur, de ipsis mentio expressa fit in cap. 13. vers. *Credentes de hæreticis.* Hujusmodi etiam sunt, qui simoniæ crimen adjuvaverunt, vel quod mediatores extiterint, vel quod ut admitteretur, procur-

raverint; istos enim simili excommunicationi, qua simoniaci tenentur, obnoxios redi, expresse definivit Paulus II. in extravag. 2. de simonia int. comm.. Hujusmodi sunt, qui Clericos, ac præsertim Episcopos, vexaverunt, cap. 6. vers. *Illi vero,* & cap. 47. de sentent. excomm., cap. 5. de pœnis in 6., Clement. 1. eod. tit.. Hujusmodi sunt, qui beneficiarios spoliaverunt, ac gravaverunt, cap. 12. de elect. in 6.. Hujusmodi sunt, qui consilium præbuerunt incendiariis Ecclesiarum, can. 32. caus. 23. quæst. 8.. Hujusmodi sunt, qui consilium, vel favorem præstiterunt illius delicti causa, contra quod pronuntiata fuerit localis interdicti sententia, cap. 24. de sentent. excomm. in 6.. Hujusmodi sunt, qui operam, vel favorem porrexerunt, vel ut puella raperetur, vel ut puella per vim monasticam professionem emitteret, vel, ne emitteret, cogeretur, Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. matrim. cap. 6., & sess. 25. de regular. cap. 18.. Hujusmodi denique sunt, qui monomachiam, sive duellum, quomodolibet adjuvarunt, aut qui monomachiam ineuntes foverunt, Concilio Tridentino sess. 25. de Reform. cap. 19..

Insuper in censuris latæ sententiæ observatur, ut si quis ignorantia invincibili laboret, is sit a censura generaliter indicta prorsus immunis, can. 5. caus. 9. quæst. 1., can. 117. de consecr. dist. 4., cap. 9. de Cler. excomir. ministr., cap. 4. de sentent. excomm., cap. 2. de constitut. in 6.. Immo etsi talis sit ignorantia, aut animi affectio, ut excusat a gravitate criminis, excusabit etiam a censura, utpote quæ non tam in crimen ipsum, quam in criminis gravitatem inficta creditur, can. 8. caus. 11. quæst. 3.. Quod autem dici solet, ignorantiam juris nemini prodesse, in civilibus tantum, non in criminalibus negotiis locum habet, præsertim vero ubi de pœnis agitur, quæ crimen expiant, & emendant; cum crimen dici non possit, quod admittitur ab eo, qui legem ignorat. Atque id adeo

verum puto, ut etiam si quis conscius legis crimen prohibentis, ignoret tamen invincibiliter legem, quæ censuram generaliter infert, nihilominus ignoratio legis censuram inferentis non quidem a crimine, sed a censura reddat immunem; etenim aliud est delinquere in legem, quæ crimen prohibet, aliud delinquere in legem, quæ censuram infert. Qui delinquit in legem, quæ crimen prohibet, inobediens quidem est, nondum tamen contumax, qualis tum demum appellatur, cum delinquit in legem, quæ censuram indicit; at censuræ plerumque feruntur in eos tantum, qui contumaces existunt. Hinc facile colligitur, non sufficere ad evadendam censuram allegare aut metum utcumque gravem, aut minus delibera-
tum animi motum, aut oscitantiam veri doli expertem, aut supinam præcepti oblivionem, quæ a gravi negligentia non distinguitur; hæc enim omnia quibus omnibus in casibus non absolvunt a lege peccatum prohibente, & peccati lethalis adhuc reum faciunt, in illis universis neque absolvunt a lege censuram inferente, can. 16. dist. 73., cap. 5.

de his, quæ vi, metusve causa fiunt, cap. 4. de sent. excomm.. Exceptio in iis, qui delinquunt ex naturali infirmitate judicii, quales sunt impuberes, quorum ætati fere ignoscitur in hac parte. Dixi fere ignosci, ut adnotarem, aliud receptum esse in percussione Clericorum ab im-
puberes dolo facta, cujus causa etiam im-
puberes excommunicationi subjacere de-
clarati sunt, cap. 58. de sent. excomm., quamquam in hac specie etiam adparet, pueros mitius puniri; etenim cum du-
plex sit pars Lateranensis canonis in
can. 29. caus. 17. quæst. 4., prima cen-
suram excommunicationis indicat, alte-
ra absolutionem excommunicationis Pon-
tifici Maximo reservat, impuberes ex-
communicationem quidem incurrint, sed ab Ordinario possunt absolutionem im-
petrare; argumento capituli 1. de delict.
pueror., cap. 1., & ult. de sent. exc.. De-
nique observandum est, neminem pos-
se censura notari ob certum crimen, qui
jam ob idem admissum notatus fuerit
alia censuræ specie, can. 12. dist. 81.,
licet pro diversis criminibus id fieri va-
leat, cap. 27. de sentent. excomm..

CAPUT V.

Expenduntur variae generalis censurarum partitiones.

TOT generales recenseri possunt cen-
surarum partitiones, quot modi
sunt, quibus possunt censuræ spectari.
Et primo quidem dividuntur censuræ,
ratione habita ferentis; secundo ratione
eorum, qui censura notauntur; tertio ra-
tione actus, qui censuræ causam præ-
bet; quarto ratione temporis, in quod
censuræ indictæ fuerint; quinto ratione
ecclesiastici administri, ad quem abso-
lutio pertinet; sexto denique ratione bo-
norum, & jurium, quibus censuræ
privant.

Et quidem imprimitis ratione habita
ferentis, aliæ dicuntur censuræ ab ju-
re generali, aliæ ex præcepto singula-

ri superioris, aliæ ex sententia judicis
inflictæ, cap. un. de major., & obed. in 6.,
cap. 22. de sent. excomm. in 6.. Ab iure
inflictæ dicuntur, cum lex certum opus
agendum generaliter omnibus indicet, vel
prohibet ita, ut qui legi non paret, cen-
suram incurrat. nomine legis intelligi-
mus quamcumque constitutionem, sive
in generali, sive in particulati Conci-
lio, sive extra Concilium a Pontifice Ma-
ximo, vel ab Episcopo editam, non ta-
men singulare rescriptum, licet forte in-
de in corpus juris redactum, uti in spe-
cie canonis 52. caus. 16. quæst. 1., ex-
travag. 6. de præbendis, & extravag. 3.
de sent. excomm. int. comm.. Ex præcep-

to superioris dicuntur *infictæ censuræ*, quando Prælatus personæ, vel Collegio sibi subjecto aliquid agendum, vel ca-vendum mandat, censura proposita in non obtemperantem. Sententia judicis dicuntur *indici censuræ*, cum judex ecclesiasticus pro certis admissis, atque ut plurimum ob certam contumaciam, censuram infligit. Censura, quæ indicitur ex sententia judicis, in eo generaliter distat a censuris latis ab jure, vel latis ex præcepto superioris, quod illa respice-re possit æque ad casus præteritos, ac præsentes, cum ea sit natura sententiæ, ut præteritis æque, ac præsentibus con-sulere possit; præteritis, inquam, in uni-versum, præsentibus, si agatur de coer-cendis contumacibus; at istæ spectent ca-sus futuros, quia hæc est natura legis, ut tantum in futurum conferatur, cap. 2., & 13. de constitut., & quamquam le-ges aliquando casus præteritos respice-re in poenit. possint, cum nimirum id expressum est, aliud tamen in censuris ob-servatur, propterea quod fundamen-tum censurarum est contumacia rei, vel vera, vel facta, sive præsumpta. Eadem etiam est natura præcepti, quod in hac parte legem imitatur, veluti si Episco-pus mandet certo Clerico, ut certa of-ficia gerat, vel a certis rebus abstineat sub poena suspensionis, can. 24. dist. 63. can. 52. caus. 16. quæst. 1., extravag. 5. de præbend. int. comm. extravag. 3. de sent. excomm. int. comm.. Distat tamen ita censura præcepto a censura lege indic-ta, quemadmodum distat præceptum a le-ge. Sic cum præceptum in singularem personam, vel certum Collegium diri-gatur, lex in universitatem; cum præcep-tum postulet, ut is, cui præcipitur, sit subditus tempore præcepti, lex autem etiam tendat in eos, qui futuri sunt subdi-ti; cum præceptum morte præcipientis ex-piret, non ita lex morte legislatoris; cen-sura præcepto indicta singularem perso-nam, vel certum Collegium non egre-dietur, censura lege indicta omnes in universitate consistentes afficiet, item

censura præcepto lata non eos tenebit, qui non erant subditi tempore præcep-ti, quamquam postea subditi esse coe-pe-rint, & censura lata lege omnes notabit, qui aut tempore legis, aut post latam legem subditi sint; denique indictio cen-suræ præcepto latæ morte præcipientis expirabit, quin expiret morte legislato-rii indictio censuræ facta per legem.

Quæ censuræ ab jure indicuntur (quæ dicuntur de censuris ab jure, id-ipsum in hac parte intelligatur de cen-suris præcepto latis, cum in hoc pro-posito præceptum a lege non dis:et) ite-rum distinguuntur in censuras latæ, & censuras ferendæ sententiæ. Latæ sen-tentiæ censuras appellaverunt, cum statim admisso criminis reus ipse censura notatus habetur; & si aliquando opus esse videtur sententia, judicis partes non alia de causa intercedunt, quam ut de-claretur factum, non ut censura infligatur, cap. 26, & 58. de sentent. ex-comm. Sententiæ referendæ censuras ap-pella verunt, cum statim admisso criminis ex præscripto legis imminet judici onus, aut obligatio, ut in reum censuram infligat. Scio quidem nonnullis parum pla-cuisse censurarum latæ sententiæ disci-plinam, quod imprimis istam admodum recentem inveniant, nec putent Grego-rii IX. decretalibus antiquiorem; quod deinde non satis naturæ censurarum ac-commodatam deprehendant, quum cen-suræ non nisi in contumacæs, & præviis admonitionibus, tanquam supremum Ec-clesiæ remedium, aut adhibendæ. Ve-rum doctrinam canonum jam vindicavit in parte Bonifacius VIII. proposito ci-vilis prudentiæ exemplo, quod perspi-cue probat, asperiorem quandoque pu-niendorum graviorum criminum ratio-nem publicæ utilitati congruere; poenæ etiam indictis, quibus rei nulla posita judicis pœnuntiatione subjaceant, cap. 19. de hæreticis in 6.. Dicunt illi, recentem esse disciplinam. Si de formulis quibus-dam quæratur, quales sunt, *eo ipso, ip-so jure, ipso facto &c.*, & ego fateor, ip-

tas ante Gregorii IX. collectionem nullibi extare; forte etiam primum adparere in Sexto, in Clementinis, in Extravagantibus, unde apud recentiores magis frequentari cœperunt. Pudeat vero, non de re, sed de verborum cortice cum viris eruditis contendere. Formulæ istæ recentiores prodire debuerunt ad rem clarius explicandam ideo, quod vulgares emersissent Pragmaticorum disputationes ad distinguendas censuras latæ a censuris ferendæ sententiæ. Cæterum censurarum latæ sententiæ exempla difficile non est apud veteres invenire. Adparent statim in universis fere Gangrensis Concilii canonibus, qui sane antiquissimi sunt, & describuntur apud Gratianum a canone 1. usque ad 15. dist. 30., item in canone 24. caus. 7. quæst. 1., qui est Concilii Antiocheni eod. sæculo celebrati; quam censurarum rationem videntur Sancti Patres ex ipso Evangelio derivavisse, Matthæi cap. 18., ubi qui monitus non audiverit Ecclesiam, ita statim facto suo damnatur, ut tanquam æthnicus a fideli populo segregatus haberi debeat. Quod si recentiore ætate frequentiores hujus generis censuræ videntur, quam antea forent, non aliunde profluxit, quam ex eo, quod ecclesiasticorum plurium judicum oscitania nimiam indulgentiam in reos gravissimorum quorumcumque criminum, etiam ubi ex juris præscripto censuris animadvertisendum erat, exhiberet præsertim quod ecclesiastici judices suo arbitrio commissum noverant inferre censuras, vel non inferre, cap. 21. de accusatione, ac propterea visum fuit opportunum, ut juris ipsius sententia officia judicium anteverteret. Urgent illi clamantes, censuras non nisi in contumaces esse ferendas. Verum quis dubitet, & contumacem habendum esse illum, qui cum noverit, crimen non solum a lege prohiberi, sed etiam ipso facto censura damnari, nihilominus illud admittere non veretur? Siquidem cum lex in proprieitate duplicem habeat partem, priorem,

qua factum improbatur, posteriorem, qua factum censura plectitur; qui priorem violat, inobedientiam, qui posteriorem violat, contumaciam admittit, quemadmodum in Prætoriis Romanorum edictis contumax simul, & inobediens dicebatur, qui primo edicto non paruisset, quando primo edicto adjecta erat clausula, qua exprimeretur, illud pro peremptorio haberi, l. 72, ff. de judiciis, l. 53. §. 1. ff. de re judicata. Ad summum ex eo quis colligere poterit, censuras ipso facto non nisi ex gravioribus, & urgentioribus causis infligendas esse, ut certus coercendorum reorum modus servetur, & atrocitati sceleris atrocitas coercionis respondeat.

Ut autem percipiatur, quibus in casibus legislator censuram latæ sententiæ indixerit, aliquot erunt observandæ regulæ. Imprimis certissimum est, ejusmodi censuras esse, quum in constitutione exprimitur formula *eo ipso, ipso jure, ipso facto*, & similes. Deinde id ipsum dicetur, si censuræ nota in præteritum tempus conferatur, ex. gr. si dicatur: *Sciat, vel noverit se esse excommunicatum, debet pro excommunicato haberi, sit anathematizatus, seu, quod idem sonat, sit anathema, aut tamdiu sit excommunicatus, quamdiu &c.*, ut in can. 21, caus. 24. quæst. 3., quemadmodum e converso semper erit censura ferendæ sensentiæ, si in futurum verba concipientur, ex. gr. *excommunicatione damnabitur, suspensioni subjacebit, jus communionis non habebit, anathematizandus erit, aut etiam tamdiu reddi debet communionis expers, quamdiu &c.*, uti in cap. 8. de tempor. ordinat.. Similes erunt formulæ, dignitate carebunt, a clero cessabunt, communionem, vel locum amittent, uti in can. 5. dist. 24., can. 1. dist. 48., can. 43. caus. 1. quæst. 1.. Quod si præsens tempus formula denotet, distinguere oportet inter indicativum, ut Grammatici loquuntur, subjunctivum, & infinitum: nam si indicativo modo formula concipitur, non dubito, quin latæ sententiæ censura di-

catur, veluti cum ita exprimitur, hac lege excommunicatur, suspenditur &c. At si subiectivum tempus, vel infinitum formula denotet, receptum est apud omnes, censuram esse ferendæ sententiæ, quies formula eadem ad factum Superioris ecclesiastici referatur, uti cum dicitur, debet damnari, plecti, excommunicari, suspendi, sive damnetur, plectatur, excommunicetur, suspendatur. Dubetas, meo iudicio, emergit, quies formula non referatur ad factum ecclesiastici Superioris, sed in reum dirigatur, veluti cum dicitur *reus excommunicationi subjaceat*, excommunicationem incurrat, locum suum amittat, vel sancimus, reum excommunicationi subjacere, excommunicationem incurrere, locum suum amittere, &c. uti in can. 42. 43. caus. 11. quæst. 1., & in cap. 1. de ætate, & qualit. præfic.. Numero pluri- mi sunt, qui arbitrantur, hujusmodi censuras esse latæ sententiæ, quasi lex ita concepta nihil amplius agendum judici reliquerit. At quicumque sepositis scriptorum præjudiciis in eas formulas intendere velit, non adeo tutus erit de hac opinione. Siquidem illæ formulæ æque indicare possunt, & judicis facto aliquem censuræ subjacere, censuram incurrere, locum amittere, ac vi legis, & potestate. Et quamquam per istas loquendi formulas res in dubio collocata videretur, lenior esset adhibenda interpretatio, cap. 30., & 49. de reg. jur. in 6., & potius credendum, eas censuras ferendæ esse, quam juræ latæ sententiæ. Mihi, ut candide loquar, placeret, ut media quædam via iniretur, & penitus investigarentur singula adjuncta, nimirum æstatum, locorum, consuetudinum loquendi, integri contextus, causæ inferendæ censuræ, & receptæ interpretationis subsequentibus constitutionibus confirmatæ. Proinde ea censura videretur generaliter ferendæ sententiæ, nisi quo casu memorata adjuncta aliud postulent. Id ut exemplis commons-trem, observandum putarem, an censura illata esset ob crimen atrocissimum, quod statim interesset graviore poena punire;

tum vero facilius recipere, eam censuram esse latæ sententiæ; at si censura illata esset causa contumaciæ, eam censuram dicerem ab iudice ferri oportere, argumento canonis 20. caus. 23. quæst. 4.. Proferatur inter cætera in medium canon 29. caus. 17. quæst. 4. in illis verbis excommunicationi subjaceat. Sane continet ea constitutio excommunicationem latæ sententiæ, non in vim illius formulæ, sed vel quia in eodem canone statim subjicitur: & nullus Episcoporum præsumat absolvere &c., quæ verba sicut indicant, statim post crimen de absolitione cogitandum esse, ita demonstrant, reum jam esse censura notatum; vel quia consuetudo subsequens, & explicatio recentiorum Pontificum clarius id expressit, cap. 5. 9., & passim de sent. excomm. Cæterum si ista, vel similia adjuncta non urgerent, in aliam forte opinionem eundum esset, quemadmodum facile probari potest ex can. 101. caus. 1. quæst. 1., & ex cap. 4. de criminis falsi. In canone 101. de Episcopo simoniaco statuitur, ut duobus mensibus excommunicationi subjaceat, deinde subditur, ut Presbyter ejusdem criminis reus quatuor mensium excommunicatione plectatur. Si vero nemo dubitat, verbum illud plectatur indicare censuram ferendæ sententiæ, quis ire potest inficias, verbum illud subjaceat de simili censura intelligi, præsertim cum sit observandum, gravius ibi puniri Presbyterum, quam Episcopum, cum ille per quatuor, iste per duos menses excommunicationi subdatur, alias autem lenior esset poena. Presbyteri, quam Episcopi, si contra Presbyterum ferenda, contra Episcopum latæ sententia diceretur? In cap. 4. de criminis falsi, ejusdem criminis causa præcipitur, ut laicus excommunicationi subjaceat, Clericus officii, & beneficii suspensione damnetur. Utraque sane formula eumdem effectum habere debet, ac propterea si verbum *damnetur* ferendæ sententiæ censura denotat, uti omnes interpretantur, verbum subjaceat aliam habere non

debet significationem; secus diceretur, multo gravius in ecclesiastico crimine animadverti in laicos, quam in Clericos, præsertim cum jam laicis immineat pœna excommunicationis, quæ jam per se est acerbior pœna suspensionis. Adde his, in principio ejusdem capituli Pontificem Maximum clarius explicavisse sententiam suam, cum scriberet, sub pœna excommunicationis, & suspensionis, quæ verba, nomine dissentiente, censuram denotant ferendæ sententiæ. In hac ipsa sententia puto fuisse Gratianum, aut Collectorem, qui auctor extitit Gratiano, qui verbum subjaceat eamdem significationem habere censuerunt, quam habet verbum subjiciatur, quando in can. 47. caus. 12. quæst. 2. scripserunt, excommunicationi subjaceat, licet in canone Lateranensi legatur excommunicationi subjiciatur. Item de eo saltem dubitavisse videtur Clemens V., qui in cap. 1. de sent. excomm. censuram inflicturus latæ sententiæ, contentus non fuit uti ea formula subjacere, sed adjectit eo ipso subjacere. Si compares sanctionem Concilii Carthaginensis, quæ habetur in can. 43. caus. 11. quæst. 1. cum sanctione Concilii Toletani, quæ est in can. 42. præcedente, liquebit, in utroque eamdem stabiliri disciplinam; nihilominus tamen, quod explicant Patres Carthaginenses in illis verbis *locum suum amittat*, explicat Patres Toletani alia formula, quæ superioris factum requirere videtur, a communione efficiatur extraneus. Non absimilem interpretationem pati debent canon 9. dist. 23., canon 6. dist. 89., aliive similes. Itaque, ubi dubitatio emergat, censura potius dicetur ferendæ sententiæ, quemadmodum inter cætera tradi solet de illa lege, cuius sanctio concipiatur sub pœna excommunicationis, suspensionis &c., ut in dicto cap. 4. de crimen falsi.

Ratione habita eorum, qui censura notantur, dividuntur censuræ in locales, & personales. Localis censura tantum dicitur interdictum; personalis non solum interdictum esse potest, sed etiam sem-

per est excommunicatio, ac suspensio. Nihil autem refert, ac in singulares personas censura inferatur, an in personas Collegium componentes, semper enim dicetur censura personalis. Sed jam de hac re plura notanda fuerunt in capite 3..

Ratione actus, qui censuræ causam præbet, modo inferuntur censuræ causa criminis jam admissi, & sane gravis; modo causa criminis præsentis, qualis esse solet contumacia, modo ad evitandum futurum crimen, quod proprium est censuræ latæ per legem generalem, vel per singulare præceptum. Sane ubi in futurum censuræ concipiuntur, distinguenda est censuræ indictio, seu comminatio ab inflictione censuræ. Utilis est hæc distinctio ad explicandum, quod dictum superius est de censura indicta per præceptum; licet enim verum sit, expriraret inductionem censuræ morte præcipientis, non tamen si fuerit censura, aut statim per sententiam, aut ipso jure inficta post violationem præcepti, morte præcipientis extinguitur, sed notatus absolutione indigebit. Eadem ratione colligitur ex hac distinctione, ubi censura sit tantum proposita ab jure, vel præcepto, & deinde ipso facto quis eam incurrit ex posteriore admisso, absolutionem fieri posse a quocumque Sacerdote jurisdictionem habente in foro interno, nisi alias sit reservata, quia etsi inferior non possit solvere legem, aut præceptum superioris, potest tamen absolvere a censura, quam quis incurrit ex violatione legis, vel præcepti, quemadmodum absolveret a crimen specialiter non reservato, quod committitur ex legis, vel præcepti violatione.

Ratione temporis, in quod indictæ censuræ fuerint, aliæ certa, aliæ nulla temporis definitione circumscribuntur, sed indefinite concipiuntur, ex. gr. quo usque quis satisficerit. Quæ certum tempus adiectum habent, proprie censuræ non sunt, sed aut pœnitentiarum, aut pœnarum imaginem præferunt, prout vel ab aliquo devoto, demissoque animo

excipiuntur, vel feruntur adversus invitatos, quia pertinet vel ad expiandum erimen admissum, vel ad ulciscendum crimen, terrendosque cæteros, ne similia perpettent; unde passim censuræ pœnales appellantur, can. 24. dist. 86. can. 6. dist. 89., can. 101. caus. 1. quæst. 1., cap. 7. in fine de electione. Quæ vero in indefinitum conceptæ sunt, vere & proprie censuræ vocantur, & medicinales, quia eo tendunt, ut reus contumax in crimen ea ratione flectatur, can. 21., & 23. caus. 24. quæst. 3., cap. 8. de tempor. ordin. Notandum est in hac re, ad certum tempus inferri non consueuisse, nisi censuras suspensionis, aut interdicti cap. 7. 8. 13. 14. 15., & 20. de elect., non majoris excommunicationis, ne ista in grave animarum periculum potius, quam utilitatem, ob quam instituta est, torqueatur. Ratio est, quia major excommunicationis mortifere æquiparatur, cap. 13. prope finem qui filii sint legit., cap. 1. de sent. excomm. in 6., atque infligitur tanquam extremum remedium, quod statim, ac expedit, auferendum est, cap. 11. de constitutione. Quamobrem sano modo intelliges canonem 24. dist. 86., canonem 6. dist. 89., & canonem 101. caus. 1. quæst. 1. cum similibus, ubi nomine excommunicationis suspensio quædam ab Episcopalibus, cæterisque clericalibus iuribus designatur, juxta formulas loquendi a veteribus usurpatas. Nemo inde non colligit, ut plurimum censuras certo tempore circumscriptas elapso tempore statim evanescere, quin opus sit absolutione, quemadmodum impleta pœnitentia, ac satisfactione, evanescit pœnitendi, ac satisfaciendi obligatio, ut in specie capituli 1. de sententiæ, & re jud. in 6., & capituli 1. vers. Si quis autem de sentent. excomm. in 6.. Non idem eveniet, si quis ex. gr. suspendatur indefinite, donec satisfaciat, ut in specie capituli 3. de usuris, aut designato quidem certo tempore, ita tamen ut non demonstretur, eo elapso

evanescere censuram, sed potius indicetur, antequam elabatur, non esse reum admittendum ad absolutionem; hanc enim in specie necessaria erit etiam elapso tempore absolutio, argumento Clement. 1. de decimis.

Ratione habita ecclesiastici administrationis, ad quem absolutio pertinet, dividuntur censuræ in reservatas, & non reservatas. Reservatae dicuntur, quarum absolutio a majore quodam Antistite necessario sit petenda; non reservatae, quarum absolutio ordinariis ministris relinquitur. Potestas reservandi penes unumquemque inest, qui potest censuras inferre, cap. 29. de sent. excomm. Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7., quamobrem cum aut ab homine, aut ab iure censuræ ferantur, & ab homine, & ab iure fieri reservationes possunt, quin habeatur ratio, an censura sit latæ, an ferendæ sententiæ, cap. 8. de tempor. ordin. Censura, quæ ab homine per sententiam infligitur, suapte natura est reservata ferenti, & ferentis superiori, capitulo 11. de offic. jud. ordin. cap. 29. de sentent. excomm., quia sententia vel cassatur a ferente, vel revocatur a superiore, nunquam ab inferiore elevatur. Proinde non dubito, quin hæc reservatio antiquissima sit, & ita antiqua, ut antiqua est ferendarum per sententias censurarum disciplina. At si sermo sit de censuris ab iure latis, quamquam antiquissima sit, & ipsi ferendarum censurarum potestati cohærens facultas reservandi, non adeo tamen antiquæ sunt reservationes. Id ipsum dico de censura indicta per præceptum, quod in hac re legem imitatur. Primum adparent hujusmodi reservationes temporibus Gregorii Magni in can. 24. dist. 63., & in can. 52. caus. 16. quæst. 1.. In censurarum reservatione observatur, ut si consortes criminis censuræ obnoxii dicantur, etiam ipsi obnoxii sint reservationi, si censura sit reservata, cap. 29. de sentent. excomm. Multa alia præterea, in capite ultimo recensenda.

Denique ratione bonorum, & juriū, quibus censuræ privant, tot possent indicari censuratum species, quot sunt bona, & jura in Ecclesia, cum evenire possit, ut privat⁹ quis certis bonis, ac juribus, quin repellatur a cæteris; unde prodiit altera censurarum partitio, quarum aliæ totales, aliæ partiales a Pragmaticis appellantur. Jura omnia, quæ sunt in Ecclesia, dicuntur concessa iis, qui sunt in communione, singulorum gradui, & conditioni competente. Multiplex autem communio est, alia laica, laica clericalis, alia peregrina; item clericalis in tot species distinguitur, quot sunt ordines, & gradus clericorum; & communio laica olim distinguebatur in tot species, quot erant stationes laicorum in Ecclesia; id est, expiatorum, & pœnitentium, qui iterum dividebantur in consistentes, substratos, audientes, ac flentes, sive lugentes. Item & sunt, & erant quædam bona universis communia; uti preces, Sacramentorum susceptio, præsentia ad sacrificium, conventus, sepultura: alia & sunt, & erant singularia Clericorum uti concilia, beneficia, sacrorum administratio, & officia; itidem alia erant singularia Episcopis, veluti jura, quæ Episcopo competebant, prout certam diœcesim administrabat, & jura, quæ competit Episcopo, prout una cum Metropolitano, & Comprovincialibus Provincialia negotia gerebat. Quicumque igitur apud veteres, aut ab omnibus hisce juribus, aut ab uno tantum, vel a pluribus repellebatur, generali vocabulo excommunicatus dicebatur, quasi positus extra illam communionem, quæ suo gradui competit, sive integrum amisisset, sive tantum partem illius. Duo hic adnotanda sunt. Primum est, omnem censuram privare bonis, quæ in communi aut ab omnibus fidelibus, aut a certo fidelium ordine possidentur. Non tamen inde colligitur, quamdam veri speciem haberi opinionem illorum, qui putaverunt, hodie suspensionem il-

lam, quæ dicitur a beneficio, non posse esse censuram; propterea quod hodie apud Clericos recessum sit a generali communione bonorum, & divisis ecclesiasticis beneficiis prædia, redditus, & observationes universæ ecclesiasticæ factæ sint propriæ singulorum. Placeant hæc illis, qui aliam habent imaginem beneficiorum ab ea, quam ego in mea tractatione de ecclesiasticis beneficiis edidi: mihi sane non arrident, consideranti, facto quidem cessavisse bonorum communionem, non jure, propterea quod non aliud jus asserendum videtur Clerico beneficiario, quam usus, non dominium, immo nec usufructus quidem, uti suo loco demonstravi. Tantum in præsentia adjicio, suspensionem a beneficiis veram censuram adversus contumaces illatas adparere apud Innocentium II. in can. 5. caus. 21. quæst. 4., quamquam temporibus Innocentii II. jam Clerici ad divisionem bonorum venissept. Alterum adnotatione dignum est, apud veteres quamcumque censuram, non solum eam, quæ generaliter arcet ab omni communionis genere, sed etiam quæ excluderet a certis communionis speciebus, excommunicationem fuisse appellatam, uti jam observatum est in cap. 1., immo & adparet hoc nomen excommunicationis ad id antiquissimis sæculis usurpatum, cum primum canones edi cœperunt, & codicibus inseri, can. 19. caus. 11. quæst. 3.. Sic detrusio in gradus pœnitentium dicitur excommunicationis, in can. 23. ex Apostolicis, in can. 13. dist. 12. can. 43. 44. dist. 50. can. 24., dist. 86., can. 6. caus. 2. quæst. 1., can. 1. caus. 31. quæst. 3., & Gratianus initio quæstionis 6., caus. 36. promiscue sumit excommunicatos, & pœnitentes. Sic detrusio a conventu, vel a Concilio excommunicationis nominatur, can. 9. ex Apostolicis, can. 3. caus. 5. quæst. 4. Eodem nomine dicta fuit suspensio, sive totalis esset, sive partialis can. 5. 12. 17. dist. 18., can. 9. dist. 23., can. 1. dist. 34., can. 9. dist. 35.,

can. 2. dist. 58., can. 5. 24. dist. 63.
 can. 4. dist. 71., can. 35. 40. de consecr. dist. 1., can. 8. ex Apostolicis,
 can. 101. caus. 1. quæst. 1., can. 35.
 caus. 2. quæst. 6., can. 1. caus. 4.
 quæst. 5., can. 3. caus. 6. quæst. 2.,
 can. 29. caus. 7. quæst. 1. can. 7. 8.
 109. caus. 11. quæst. 3., can. 17. caus. 12.
 quæst. 2., can. 2. caus. 21. quæst. 4.
 cap. 1. de Cleric. venat., cap. 2., & 3.
 de cohabit. Cleric. veniat, cap. 2., & 3.
 de cohabit. Cleric., & mulier.. Excommunicatio quoque dicebatur reductio Clericorum in communionem laicam, vel peregrinam, can. 12. 14. ex Apostolicis, can. 9. dist. 28. can. 7. 8. 10.
 21. dist. 50. can. 13. dist. 55., can. 118.
 de cons. dist. 4., can. 10. caus. 11.
 quæst. 3., can. 18., & 38. caus. 12.
 quæst. 2.. Excommunicatio itidem erat, quotiescumque laicis certa communionis specie interdicetur, can. 23. caus. 32.
 quæst. 5., veluti communione sacræ Eucharistiae, can. 10. dist. 50., can. 6.
 caus. 5., quæst. 6., can. 2. caus. 15.
 can. 14. 17. 25. caus. 27. quæst. 1. can.
 12., & 15. caus. 33. quæst. 2..

Evidem video, exinde offundi veteres canones obscuritate quadam, qua posita multos excommunicatos scimus variorum criminum reos, qua tamen excommunicationis specie notati forent, propemodum simus ignoraturi. Qui hæc apprime, uti decebat, non distinxerunt, errarunt illi gravissime, & multis similem errandi occasionem præbuerunt, propterea quod ubicumque ob oculos occurrit excommunicationis nomen, non aliam excommunicationem intellexerunt, quam quæ recentiore ætate excommunicatione dicitur, censura & a suspensione, & ab interdicto distincta, & suspensione, & interdicto longe gravior. Curabo ego in præsentia, ut, quoad meæ vires ferunt, certas regulas præstituam, quarum ope veteres illæ excommunicationis species distinguantur.

Itaque prima regula est: quoties evenit, ut excommunicationis nomen conjunctum adpareat cum nomine pœnitentia-

tiæ, videbitur non indicta censura excommunicationis, sed denegata communio illorum, quæ competit fidelibus minime dejectis in pœnitentium gradus. Id occurrit in can. 13. vers. *Quisquis autem dist. 12., in can. 9. dist. 28., in can. 42. 44. dist. 50., in can. 7. caus. 2. quæst. 1. in can. 17. caus. 12. quæst. 2., in can. 15. caus. 33. quæst. 2., & initio causæ 26. quæst. 6..*

Secunda regula est: quoties aliquis dicitur exclusus, non generaliter a communione, sed a communione *sacra*, intelligetur non proprio excommunicatus, sed tantum a suscipiendo Eucharistiæ Sacramento remotus. Exempla sunt in can. 10. dist. 50., in can. 40. caus. 7. quæst. 1., can. 24. caus. 12. quæst. 2., can. 2. caus. 15. quæst. 8., can. 14. 17. 18. caus. 27, quæst. 1., can. 12. caus. 33. quæst. 2., quibus addi potest can. 21. de cons. dist. 1..

Tertia regula est: ubi excommunicatione ad certum tempus indicta deprehendatur, erit potius species pœnitentiæ, vel pœnæ. Exempla pœnitentiæ sunt in can. 23. ex Apostolicis, can. 13. dist. 12. can. 15. 17. dist. 18., can. 2. dist. 34., can. 9. dist. 35., can. 24. dist. 86., can. 101. caus. 1. quæst. 1., can. 3. caus. 5. quæst. 4., can. 2. caus. 21. quæst. 4., & can. 1. caus. 31. quæst. 3.. Exempla pœnæ extant in can. 40. de cons. dist. 1., & in cap. 1. de Clerico venatore.

Quarta regula est: si excommunicatione dicatur inficta in perpetuum, multum interest, an in Clericos indicta fuerit, an in laicos. Clerici ea ratione excommunicati, potius intelligentur e gradu suo depositi uti in can. 7. 8. 10. dist. 50., can. 118. de consecr. dist. 4. cap. 3. de cohabit. Cleric., & mulier.. Laici ea ratione excommunicati, potius censebuntur interdicti ab Eucharistiæ perceptione, uti in can. 6. caus. 5. quæst. 6., can. 25. caus. 27. quæst. 1., can. 84. de pœnit. dist. 1.. Id facile probatur ex eo, quod aliquando ob gravissima sclera apud veteres toto vitæ tem-

pore, atque in ipso mortis articulo Eucharistia denegaretur, Concilio Eliberitano can. 1. 2. 3. 7. 8. 12. 18. 47. 64., & 75., can. 2. caus. 3. quæst. 10., can. 7. caus. 22. quæst. 5. cap. 2., de electione, atque id species quædam erat perpetuæ detrusione in gradus pœnitentium, argumento can. 13., & 25. caus. 27. quæst. 1.; at vero quæ Christiana communio dicebatur, proindeque necessaria, nunquam morientibus denegata est, can. 12. dist. 28., can. 6. caus. 5. quæst. 6., can. 30. 31. caus. 13. quæst. 2., can. 30. caus. 23. quæst. 8., can. 11. caus. 27. quæst. 1.. Revera in can. 19. caus. 22. quæst. 5. distinguitur communio ab Eucharistia, & cum statuitur, in fine vitæ dandam esse communionem cum Eucharistia, facile adparet, communionem ipsam ex necessitate conferri, ministrari autem Eucharistiam ex benignitate, & indulgentia. Simile argumentum deduci potest ex can. 2. in fine caus. 5. quæst. 1.. Sunt etiam quædam singulæria jura, quæ præter Eucharistiam aliquando denegata fuere reis, donec viverent, illa scilicet, quæ nobis in vita essent, & non geni.us ad salutem necessaria. Atque ad hæc referri etiam potest excommunicatio in perpetuum inflicta. De istis intelligi debet canon 8., & 44. dist. 50., canon 26. caus. 27. quæst. 1., canon 8. caus. 32. quæst. 7., & canon 118. de consecr. dist. 4..

Quinta regula est: si talis sit excommunication, quæ feratur in Clericos, & dicatur inficta donec sententia pronuntietur, erit potius suspensio, quam excommunication; adeo tamen ut illa suspensio ne censura quidem sit, sed singulæris providentia, qua sacrorum dignitati, & decori consulatur, uti in can. 15. dist. 18., in cap. 2. de cohabit. Cleric., & mulier.. Hinc si forte Episcopus alteri suspectus de quodam gravissimo crimine videretur, ex. gr. hæreseos, aut schismatis, multi se sponte olim ab ejusdem communione subducebant, eaque propter eatenus excommunicare illum dicebantur, quatenus epistolas salutatorias,

paschales, entronisticas, & similes ad eum non mitterent, aut ab eo missas non exciperent, quemadmodum se gessit Epiphanius, cum Joanne Hierosolymitano, epist. 60. inter Hieronymianas. Similia, servata potestatis proportione, dici possunt de Presbyteris, & minoribus administris constitutis in clero, can. 9. dist. 23., can. 3. juncto 2. caus. 21. quæst. 4., cap. 2., & 3. juncto 4. de cohabit. Cleric., & mulier.. Cur non & similia dicamus etiam de laicis, si forte ante sententiam, seu ante probatum crimen, & ob solam criminis suspicionem excommunicati dicantur? Erunt ipsi hoc sensu excommunicati, at arcea tur interea ab Eucharistia, vel a quibusdam nobilibus Christianæ communicationis juribus, ad quæ non admittuntur, non solum qui rei sunt, sed etiam qui non sunt undecumque digni, ac probati, propterea quod in hac parte consistat decor quidam debitus dignitati sacrorum. Exemplum est in can. 23. caus. 32. quæst. 5..

Sexta regula est: quotiescumque Clerici dicuntur excommunicari, deinde contempta excommunicatione dicuntur dejici de gradu suo, nomen illud excommunicationis de suspensione intelligitur, uti in can. 1. dist. 34.. Etenim in coercitionibus suus ordo, gradusque servatur, ac de minore in majorem proceditur, & quemadmodum in Clericis depositio gravior est suspensione, ita vera excommunicatione gravior est depositione.

Septima regula, & quidem superiore proxima est: si agatur de excommunicatione indicta in Clericos, vel Episcopos distinguendum erit: an sit lata post suspensionem a sacris rebus; tum vero talis erit, ac si indicta esset in laicos; an sit indicta ante suspensionem; tum vero erit suspensio, uti in can. 8. ex Apostolicis, can. 29. caus. 7. quæst. 1., can. 109. caus. 11. quæst. 3., can. 24. caus. 12. quæst. 2. can. 35., & 40. de consecr. dist. 1.. Facilius id demonstrari potest ex can. 9. dist. 23., ubi Cle-

ricus dicitur subjacere excommunicationi debitæ, quasi excommunicatio debita Clerico sit suspensio. Mirifice etiam id ostenditur ex canone 24. dist. 63., & canone 7. caus. 11. quæst. 3., ubi Clericus excommunicatus dicitur non posse facere oblationem, & similia, qui sane sunt characteres veræ proprieque dictæ suspensionis. Exceptio est in hanc rem, quoties agitur de crimine hæreseos, utpote quod natura sui quemcumque reum excludit a tota communione Christiana, & in quo excommunicatio in tota sui amplitudine indicitur, can. ult. dist. 30.. Hoc tamen in loco, uti in similibus, gravis difficultas emergit, quando adhuc inquirendum superest, quodnam genus suspensionis veniat nomine istius excommunicationis, propterea quod varii esse possunt suspensionis gradus. Inquirendum erit in causam criminis, contra quod excommunicatio inficta est. Si de Episcopo agatur, videndum, an delictum sicut sit in negligentia rerum provincialium; & tunc suspensio erit in ea parte, qua Episcopus & Metropolitanus, & Suffraganeos juvaret in gerendis Provinciæ negotiis, uti legimus in can. 10. 12. 13. 14. dist. 18., can. 1. dist. 34., can. 2. dist. 58., can. 5. dist. 63., can. 3. caus. 6. quæst. 2., can. 8. caus. 11. quæst. 3., eodem modo, quo in Africa si Clerici Africani negligebant servare disciplinam, quæ singularis erat in Africa, partiali communione privabantur in Africa tantum, quod nec reciperentur hospitio, neque uti Clerici haberentur, can. 35. caus. 2. quæst. 6., an delictum sicut sit in negligentia diocesana, cum vero suspensio erat in ea re, in qua negligentia erat admissa, uti in can. 4. dist. 71.. Quod si Clerici essent inferiores, & delinquissent in administrandis rebus Ecclesiæ, veniebat communio peregrina; erat enim æquum, ut in eo plesterentur, in quo delinquissent. Deliquerant in administratione bonorum; puniebantur in eo, quod rejicerentur ab eadem administratione,

Tom. IV.

quasi segregari a participatione bonorum Ecclesiæ in communi; atque hoc idem erat, ac habere peregrinam communionem, can. 21. dist. 50., can. 18., & 38. caus. 12. quæst. 2., ubi communio peregrina dicitur etiam *anathema*. Si denique crimen personale sit, nec pertineat ad administrationem bonorum Ecclesiæ, sive de reo Episcopo, sive de reo quocumque inferiore Clerico ageretur, tunc nomine excommunicationis veniebat suspensio totalis, sive reducto in laicam communionem, uti in can. 1. caus. 4. quæst. 5..

Octava regula est: si agatur de canonicis recentioribus, qui confirmant veteres canones in ferenda excommunicationem, & non constet de novo indictio coercitionis genere, interpretandi ii sunt de ea ipsa excommunicationis specie, de qua vetusti canones intelliguntur. Sic canon 3. caus. 21. quæst. 4. de suspensione intelligitur, propterea quod & de suspensione conceptus est vetus canon, cuius disciplina renovabatur, nimirum canon. 2. caus. 21. q. 4..

Nona regula est: si agatur de excommunicatione indicta in dilecta quædam leviora, nomine excommunicationis non alia excommunicatio venit, quam una ex levioribus, veluti exclusio ex certis iuribus nobilioribus, & quidem juxta arbitrium judicis, can. 9. ex apostolicis, can. 9. dist. 23..

Decima regula est: ubi excommunicatio indicitur, & contra violatores excommunicationis illius nova indicitur excommunicatio, prior excommunicatio est una ex levioribus, non excommunicatio major, uti liquet ex can. 12. ex apostolicis, & can. 7. caus. 27. quæst. 1..

Undecima regula est: ubi excommunicatio est a certo loco, erat privatio quidem alicujus communionis, non propria excommunicatio, cum excommunicatio propria a tota Ecclesia, & ab omnibus iuribus communionis abscedat, can. 35. caus. 2. quæst. 6., can. 34. caus. 11. quæst. 3..

Duodecima, & postrema regula est: tum demum excommunicatio proprie intelligitur, cum dicitur quis excommunicari ab omni communione, uti in can. 12. dist. 90., can. 26. caus. 23. quæst. 5., can. 47. caus. 27. quæst. 2. can. 5. de pœnit. dist. 5., item cum dicitur quis excommunicari a communione sanctæ Ecclesiæ, can. 6. in fine dist. 32. can. 8. dist. 81., aut cum dicitur excommunicari a communione Christiana, cap. 10. de censibus; denique cum dicitur Satanae tradi, can. 17. caus. 2. quæst. 1..

Ex his omnibus, quæ observari necessario debuerunt, ad indicandum, in veteribus canonibus nomine excommunicationis censuras universas venisse, facilius intelligitur, quare quæ olim de excommunicatione statuta fuerant, ad cæteras censuras, veluti suspensionem, & interdictum, extenderentur, uti declaravit Bonifacius VIII. in cap. 13. de sent. excomm. in 6.. Sic quæ in cap. 1. eod. tit. in 6. decreta sunt de excommunicatione, etiam hodie recta interpretatione protenduntur ad censuras cæteras, uti Pragmatici ipsi testantur. Sic quæ dicuntur in cap. 1. de verb. sign. in 6. de excommunicatione, & de suspensione tacite dicta intelliguntur, licet de ista mentio ibidem expresse non fiat. Sic quod statuitur de excommunicatione reservata, a qua Episcopus certis in casibus absolvit, in cap. 11. 26., & 58. de sent. excomm., facile etiam in suspensione, & interdicto recipietur. Sic denique quod dicitur de reincidentia post absolutionem ab excommunicatione, juxta capitulum 8. de offic. jud. ordin., & cap. 22. de sent. excomm. in 6., in suspensione etiam, atque interdicto obtinebit. Cæterum ea usurpatio nominis excommunicationis, qua generaliter censuræ universæ designarentur, eo usque facta est, donec elarius definitæ fuerunt censurarum species, & ita enumerari coepérunt, ut tres distinguerentur, excommunicatio nimium, suspensio, & interdictum, quod

factum primum est ab Innocentio III. in cap. 20, de verb. signif., adeo ut tunc etiam definitum fuerit, prudentis judicis arbitrio relinquī, quam maluerit infligere, si generaliter canones præceperint, ut censura infligatur, nec satis constet, de qua censuræ specie concepta constituit, dicto cap. 20., eadem ratione, qua olim cum sub nomine excommunicationis censuræ universæ venirent, erant, ut puto, in arbitrio judicis, eam censuræ speciem inferre, quæ placuisset, si non satis aperte constaret, quam excommunicatio- nis speciem canones indixissent. Itaque hodie tres superfuerunt species censurarum, excommunicatio, suspensio, & interdic- tum, sublatis pene cæteris, quæ olim infligebantur. Causa abolendæ, vel refor- mandæ disciplinæ fuit, quod in Ecclesia sublata primum fuit communio peregrina, unde cessare debuit censura, qua quis in eam communionem duceretur. Cessa- runt deinde apud laicos variæ stationes pœnitentium, unde & censuræ, quæ va- riis eisdem stationibus respondebant. Ces- sarunt insuper plures communionis spe- cies inter viros ecclesiasticos, puta Epis- coporum in negotiis Provincialibus una cum Metropolitano peragendis, Clerico- rum in administratione bonorum tempora- lium Ecclesiæ, aut participatione commu- nium obventionum, uti erat olim, præser- tim ante instituta beneficia. Cur non ces- sare exinde debuerunt censuræ his res- pondentes? Quæ jura publica in Ecclesia remansere communia, suspendi possunt memoratis tribus censuris, quæ speciale bomen, & singularem naturam obtinue- runt, excommunicatione, suspensione, & interdicto; nisi dixeris, aliquod adhuc vestigium veterum excommunicationum partialium remansisse in ea excommuni- catione, quam adhuc hodie minorem ap- pelant. Sed juvat de singulis hisci tribus censuris, prout hodie intelliguntur, sigil- latim disserere, ut magis in aperto edatur hodierna disciplina.

De excommunicationis censura, prout hodie accipitur.

ET si nomen excommunicationis olim ad censuras universas etiam minoris significandas usurparetur, quemadmodum in praecedente capite demonstratum est, s^{ecundu}m tamen duodecimo, aut decimo tertio contractum fuit, ut significaret censuram singularem a suspensione, & ab interdicto distinctam; nimirum excommunicatio omnibus Christianæ communionis juribus privat, non suspensio, non interdictum. Non tamen interea adeo singularem indere potuerunt huic censuræ naturam, ut non amplius in varias species, veluti genus tribueretur. Recipi partitio debuit in minorem, & majorem excommunicationem. Minorem excommunicationem dixerunt censuram, qua qui notatur, interdicitur, ne Sacra^{menta} suscipiat, ne Sacra^{menta} administret, quamquam si hæc administrent, adhuc valida erunt, uti scholæ loquuntur, cap. 10. de Clerico excomm. min., item ne ad dignitates, & beneficia ecclesiastica eligi valeri, non sane quod electio sit ipso jure nulla, sed quod sit superioris, ad quem confirmatio pertinet, officio irritanda, dicto cap. 10. de Cler. excomm. min.. Hujus rei ratio est, quia excommunicatione minor directo privat & ministerio, & susceptione Sacra^{mentorum}, cap. 2. de exceptione, non nisi tamen indirecto electione, ut ajunt, passiva, propterea quod qui eligitur, ideo eligitur ut Sacra^{menta} ministret, dicto cap. 10., c. 59. de sent. excomm.. Retinentur tamen ab excommunicato cœtera Christianæ, vel Clericæ communionis jura, qualis est jurisdictione seu interni, seu externi fori & eligendi facultas. Neque enim negotium ullum facessit capitulum 39. de electione, cum quod ibidem traditur, pertineat obtainendum solidiorem electionis firmitatem, non ad designandum

certum minoris excommunicationis effectum. Tantum deduci ex eo capitulo potest, temporibus Innocentii III. dubitatum fuisse de vi illius excommunicationis; uti enim tunc nova de censuris disciplina proponebatur, unde abrogatis vetustis excommunicationibus quedam tantum species inventis singularibus nominibus retinerentur, ita res illa certis adhuc principiis undecumque consistere non valebat. Majorem excommunicationem dixerunt, qua quis interditur omni jure Christianæ communionis. Olim hæc distinctio erat ignota, quia non ad duas tantum species referbatur excommunicatione, sed ad totidem, quot erant jura communionis. Abolis gradibus poenitentium, cœpit disciplina novam formam induere, & duo veluti constituta generalia jura Christianæ communionis, altera sacratoria, uti erat administratio, & receptio Sacra^{mentorum}, quibus cohærebat electio, uti vocant, passiva, ut pote quæ ad sacra ministranda refertur; altera minus sacra, uti erat jurisdictione, atque eligendi potestas. Facilius interdicebatur alicui juribus sacerdotioribus; unde qui ab istis, non a cæteris excludebatur, minorem, qui præterea & a minus sacris ejiciebatur, majorem excommunicationem incurrire dicebatur; immo initio non minor, sed simplex excommunicatione appellari cœpit, cap. 39. de electione. Nomen excommunicationis *majoris*, non invenitur in ecclesiasticis canonibus usurpatum ante s^{eculum} nonum, quamquam nec statim, ubi usurpari cœpit, eam, quam nunc habet, significacionem obtinuit. Hinc depositio a gradu Sacerotali dicta aliquando fuit excommunicatione major, prout scilicet opponebatur suspensioni, can. 5. dist. 19.. Tum primum major excommunicatio ap-

pellari cœpit juxta recentem significationem, cum excommunicatio minor accepit singularem naturam sejunctam a natura minorum excommunicationum, quas veteres in usu habebant, cap. 10. de Cler. exc. min., cap. 59. de sent. exc., cap. 3. eod. tit. in 6..

Post inventam hanc disciplinam minoris, & majoris excommunicationis, dubitari cœpit, an cum canones simpliciter, & absolute de excommunicatione mentionem facerent, ad majorem fortent, an ad minorem referendi. Primum id definitum fuit a Gregorio IX. in cap. 59. de sentent. excomm., quo declaratum est, ut major excommunicatio intelligatur, & quidem jure optimo, quia, uti inferius tradetur, excommunicatio minor nunquam ab judice fertur, & si ab jure illata proponatur, nunquam infligitur, nisi in eum, qui communicet cum excommunicato excommunicatione majore, juxta canonom 10. ex vulgo apostolicis, can. 19. caus. 11. quæst. 3. cap. 2. de exceptione..

Itaque decretum est, ut excommunicatio minor tantum locum habeat in ea specie, qua quis cum excommunicato non minore, sed majore excommunicatione communicat. Verum enim vero in hac re distinguenda est communio in crimen, ob quod excommunicatio major lata fuerit, a communione in divinis, & a communione in cæteris causis. Si communicetur in crimen, in quo adhuc excommunicatus pertinax perseveret, certissimum est, excommunicationem saltem minorem incurri, quandoque etiam majorem, videlicet cum canones certam excommunicationem inferentes, eam etiam in participes intulerunt, ut exemplum est in can. 3. caus. 11. quæst. 3., in cap. 29. 30. 38., & 55. de sent. excomm.. Si communicetur in divinis, non tantum excommunicationi minori se obnoxium reddit communicans, sed auctoritate superioris modo excommunicata-

tione majore, modo suspensione, modo interdicto plectitur pro modo criminis, & ejusdem adjunctis, can. 6. 7. 19. caus. 11. quæst. 3., cap. 2. de Cler. excomm. ministr., cap. 8. de privileg. in 6., Clement. 1. de sepulturis. Si communicetur in aliis causis, regula generalis est, excommunicationem minorem incurri, can. 103. caus. 11. quæst. 3., cap. 30. de sentent. excomm. Adjecta est poena gravior adversus illos, qui scienter excommunicato beneficium contulerint, nimirum cautum fuit, ut suspenderentur a collatione beneficiorum cap. 7. de Clerico excomm. min., ex quo clarius adhuc explicari potest capitulum 10. eod. tit. janu superius laudatum, ubi cum dicatur, irritandam esse electionem excommunicati excommunicatione etiam minore, si excommunicatus scienter electus fuerit, significatur, irritandam esse ita, ut eligentes excommunicationis concii jure eligendi priventur. Aliquando etiam proceditur adversus communicantem cum excommunicato ad excommunicationem majorem, quum scilicet quis admonitus adhuc communicare perget, can. 26. caus. 11. quæst. 3., cap. 10. de Cler. excomm., cap. 3., & 13. de sent. excomm. in 6.. Scimus insuper, quandoque interdictam similem majorem excommunicationem, quibus in temporum adjunctis multi spernebant Ecclesiæ mandata, & cum excommunicatis passim communicabant, can. 103. caus. 11. quæst. 3. can. 5. de pœnit. dist. 5., cap. 18. de sent. excomm., quod tamen extra ordinem fiebat; etenim constat, quandoque non excommunicationem fuisse propositam, sed interdictum, cap. 8. de privileg. in 6., quandoque depositionis pœnam, can. 10., & 19. caus. 11. quæst. 3.. Neque dicas, generalem Ecclesiæ disciplinam olim fuisse, ut similis excommunicatio communicantem cum excommunicatio teneret, quasi hoc constitutum adpareat in can. 28. caus. 11. quæst. 3.. Referendus est iste ca-

non, non quidem ad octavam Synodum, cuius nomine perperam inscribitur, sed potius ad regulas Monachorum, atque inter cætera ad canonem 18. eadem causa, & quæstione: tum vero adparabit, ibi sermonem institui, non de excommunicato excommunicatione maijore, sed de Monacho ex Abbatis officio e coetu Monachorum causa pœnitentiæ segregato ad quamdam excommunicationis similitudinem, qua in specie cum interdiceretur Monachis, ne quamdam cum segregato communionem inirent, si forte Monachus quidam temneret superioris mandatum, & cum segregato communicaret, simili sane pœnitentiæ subjiciebatur.

Pertinent hæc ad regulam generalem. Cæterum plurimi extant singulares casus, quibus qui cum excommunicato majore excommunicatione communicat, non solum jure excusat, sed & quandoque laude dignus existit. Istos casus Pragmatici designaverunt hoc versiculo: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.* *Utile* dixerunt, habita eorum ratione, qui regimen animarum habent, quorum sane munus est excommunicatum mone-re, hortari, excitareque, ut demisso animo veniam ab Ecclesia petat, ac satisfaciat, can. 105. caus. 11. quæst. 3. cap. 54. de sent. exc., quamobrem laudabile semper fuit, etiam excommunicatos ipsos ad divini verbi prædicatio-nem vocare, & excipere, cap. 43. de sent. excomm.. *Legem* dixerunt, habita ratione conjugum. Scilicet quamquam alteruter ex ipsis sit excommunicatione ligatus, sanctissimum tamen conjugii vinculum, & individua vitæ consuetudo minime dissolvitur, can. 103. caus. 11. quæst. 3.. *Humili* designaverunt servorum, sive obsequiis præstandis addic-torum officia, quæ dominis utut excommunicatis adhuc sunt exhibenda, dicto can. 103., cap. 31. de sent. excomm.. Quos *res ignorata* excusat dicatur, nemo statim non intelligit, dicto can. 103. cap. 29. de sent. excomm., quemadmo-

dum, & intelligitur, quos excusat *necesse*, nimirum si utilitas non levis vel privata, vel publica postulat, ut certo in negotio cum excommunicato quis colloquatur, aut agat, can. 105. caus. 11. quæst. 3. cap. 34. de sent. excomm., unde & illud proficiscitur, etiam adver-sus excommunicatum actionem edi li-bere in judicio posse, cap. 7. de ju-diciis, cap. 5. 8., & 10. de exception..

Hæc sane perspicua sunt, ubi quis publice sit excommunicatus speciali An-tistitis sententia, & palam denuntiatus juxta formam capituli 1. de sent. excomm. in 6.. Quid tamen, si de excommuni-catione juris, quam latæ sententiæ ap-pellant, disputemus? Olim ubi noti pu-blicæ, & perspecta ea excommunicatio fuisset, id ipsum & in hac excommuni-cationis specie observabatur, ut qui cum excommunicato communicaret, eo ipso minorem excommunicationem incurre-ret. Sed cum de notorii qualitate cre-bræ disceptationes haberentur, & faci-les essent nonnulli in deneganda aliqui-bus de criminis aut consciis, aut sus-pectis communione, recentioribus sæcu-lis alia invaluit, & fore ubique recepta disciplina. Nimirum Martinus V. decre-to suo, quod sub nomine Concilii Con-stantiensis edidit S. Antonius in Summa parte 3. tit. 25. cap. 3., ita cavit: *Ad evitanda scundala, & multa pericula, subveniendum quo conscientiis timoratis, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum admi-nistracione, vel receptione, aut aliis quibus-cumque divinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ ecclesiastice, suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel ab iure generaliter promulgatae, teneatur abs-tinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura bujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut locum certum ab judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expresse. Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum in senten-ciam latam a canone adeo notorie consti-*

terit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque ullo suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri justa canonicas sanctiones. Integrā describendam voluit constitutionem, ut illico quisque & regulæ vim, & vim exceptionis intelligat; his enim consistit hodierna disciplina, ex qua novum profluit excommunicatorum discrimen, quorum alii excommunicati tantum vocantur, alii excommunicati vitandi.

Quædam singularia occurunt in excommunicatione minore. Primum est, olim ita quandoque proditam fuisse, ut intra cujusdam moniti fines contineretur, non instar præcepti ferretur, argumento canonis 25. caus. 11. quæst. 3., proindeque tunc temporis non tanquam censura considerabatur, sed veluti animadversio quædam, qua declararetur, aliquem excommunicatio communicantem contra præcepta Ecclesiæ, indignum esse, qui accederet ad Sacramenta, & qui sacra ministraret. In aliquibus Provinciis vigebat, ut censura quidem esset, sed tum demum, cum sententia judicis pronuntiaretur, uti liquet ex can. 5. de pœnit. dist. 5.. At paulatim factam est, ut generaliter veluti censura haberetur, & nunquam sententia iudicis inferretur; tantum ipso jure in eam incurreret, qui cum excommunicato communicaret, cap. 39. de electione, cap. 5. de his, quæ vi met. caus., cap. 2. de exception., cap. 29. de sent. excomm.. Præterea observatur, eum, qui est excommunicatus excommunicatione minore, si Sacerdos sit jurisdictione in foro interno potitus, non licite quidem, sed valide a peccatis, modo nulla obstat reservatio, absolvere, immo etiam licite, si agatur de absolutione a censuris extra forum pœnitentiale, propterea quod, ut diximus, ex ea censura jurisdictione non amittatur, cap. 56. de sent. excomm., argumento cap. 10. de Clerico excomm. ministr.. Insuper obtinet, ut hæc minor excommunicatio nun-

quam fuerit reservata, & proinde a quocumque Sacerdote habente facultatem absolvendi a peccatis absolvi posset minore excommunicatione innodatus, cap. 29. de sent. excomm.. Quod & tradidit S. Thomas in supplemento 3. part. art. 1. quæst. 4.. Immo non constat, aliquando absolutionem ab hac censura explicatam fuisse in foro externo, propterea quod in externo foro vix videatur aliquem effectum habere; quamobrem de absolutione in foro interno interpretari debemus laudatum capitulum 56. de sentent. excomm.. Denique in hac censura obtinet, ut cum excommunicatus absolvitur, non opus sit, ut promittat absolvendus, & jurejurando caveat, se satisfactum, quemadmodum contingere solet in absolutione ab excommunicatione majore, cap. 29. de sententia excommunicationis.

Altera excommunicatio, quæ & major dicitur, & longe gravior est, ejicit excommunicatos ab Ecclesia, ita ut excommunicatis denegentur, quæ fidelibus tantum in Ecclesia consistentibus conceduntur, can. 5. dist. 19. cap. 10. de Cler. exe., cap. 30. de sent. excomm., cap. 3. eod. tit. in 6.. Hujusmodi sunt administratio, & suscep-
tio Sacramentorum, celebratio divinorum officiorum, sacerorumque conven-
tuum, dicto can. 5. dist. 19., cap. 31. de præbend., oblatio, & recitatio no-
minis inter publicas orationes, cap. 13. vers. Credentes de hæret., cap. 28., & 38. de sent. excomm., spiritualis jurisdic-
tio sive in interno, sive in externo foro,
can. 31. 36. 37. caus. 24. quæst. 1.,
cap. 24. de sentent. & re judic., cap. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6., facul-
tas aut eligendi, aut progrediendi ad
beneficia, vel dignitates Ecclesiasticas,
cap. 23. 53. de appellat., cap. 8. de
Cler. excomm., cap. un. ne Sede vac.
in 6., adeo ut Episcopus excommuni-
cato beneficium conferens a beneficio-
rum collatione suspendatur, cap. 7. de

Cler. excomm., item potestas utendi rescripto a Sede Apostolica impetrato extra causam excommunicationis, vel appellationis ab excommunicationis sententia, cap. 1. de rescript. in 6., & denique ecclesiastica sepultura, can. 37. caus. 11. quæst. 3., cap. 12. de sepultur., cap. 5. de raptor., cap. 5. de privileg.. Sunt & alia, quæ excommunicatis denegantur humana officia ex disciplina canonum, quæ universa recentiores Interpretes memoriae juvandæ gratia hoc versiculo perstrinxerunt: *Os orare, vale, communio, mensa negatur.* Nimirum *os*, id est, conversatio, vel verbo, vel scripto, can. 16. 27. caus. 11. quæst. 3.; *orare*, id est, recitatio nominis, uti diximus, inter publicas preces, can. 19. caus. 11. quæst. 3., cap. 28. de sent. excomm.; *vale*, id est, signa urbanitatis, sive verbo fiant, sive nutu, sive epistola, can. 17. caus. 11. quæst. 3.; *communio*, id est, cohabitatio, vel societas, can. 29. 38. caus. 11. quæst. 3., cap. 59. de sent. excomm. *mensa*, id est, communes epulæ, ac convivia, can. 17. 26. caus. 11. quæst. 3. can. 17. caus. 22. quæst. 1., can. 27. caus. 27. quæst. 1.. Qui tamen, si in his communicent, excusentur, nuper adnotabam, cum de excommunicatione minore agerem. Si de causis in judicium deferendis sermo sit, certum quoque est, excommunicatos non posse aut tanquam actores, aut tanquam accusatores, aut tanquam advocatos, procuratores, vel testes in judicium accedere, cap. 7. de probation., cap. 38. de testib., cap. 5. 8. de exception., cap. 1. eod. tit. in 6. cap. 2., & 8. de sentent. excomm. in 6.. Sunt tamen quædam, & quidem paucae ad has generales regulas exceptiones. Prima inducta est gratia ipsius excommunicati, ne spiritualibus omnino subsidiis destituatur; ipsi siquidem permittitur, ut ad Evangelicam prædicacionem etiam publice & in Ecclesia accedat, cap. 43. de sentent. excomm.. Sunt enim excommunicati in ea conditione,

de qua nondum Ecclesia spem adjecit, futurum, ut resipiscant; atque hanc ob causam permittitur unicuique fideli, ut pro excommunicatis orationes apud Deum fundat, dummodo non sint publicæ, seu a publica recitatione nominum abstineatur. Altera exceptio est gratia reipublicæ, quæ viget, ubi mortuo Pontifice Maximo, sit ad successoris electionem deveniendum. Si enim forte inter Cardinales, ad quos spectat electio, aliquis sit excommunicatus innodatus, adhuc valet suffragium ferre, quod ad advertendas quascumque seditiones & schismata indulxit Clemens V. in cap. 2. vers. *Cæterum de electione.* Tertia exceptio est favore non excommunicati, sed extranei, ex qua obtinet, ut si quis adversus excommunicatum actionem habeat, eam in judicio proponere possit, & eumdem excommunicatum convenire; qua in specie excommunicatum ad excipiendam, persequendamque controversiam in judicio admitti opportebit, ne alias lucrum potius ob inanes redditas creditoris actiones ex poena referat, cap. 7. de judiciis, cap. 5. 8., & 10. de except., atque hoc in casu ad servandam judiciorum æqualitatem concedetur excommunicato, ut se defendere valeat, propositis, quæ sibi competunt, exceptionibus; immo & quia appellatio naturalis definitionis species est, neque denegabitur excommunicato appellandi facultas, cap. 10. 11., & 14. de exception.. Quicumque hæc omnia accurate perpendat, eam sibi formabit excommunicationis imaginem, qua illico tanquam coercitio inter spirituales omnium gravissima videatur, quod & demonstrant veteres seu excommunicandi, seu ab excommunicatione absolvendi formulæ, quales exhibentur in can. 106. 108. caus. 11. quæst. 3., & cap. 28. in fine de sent. excomm., licet istæ hodie ab usu recesserint, aliis substitutis juxta recentiores Manualium, aut Pontificalium regulas. Quamobrem nemo inficiari potest, hanc censuræ speciem non nisi per quam cautissime esse infligendam.

Infinitus proptermodum essem, si Sanctissimorum Patrum prudentia in hanc rem dicta adferre in medium vellem. Non prætermittam tamen indicare S. Augustini sententiam, quam perspicue editam unusquisque invenire potest apud Gratianum in can. 32., & 33. caus. 11. quæst. 3..

Nondum rem hanc confectam censeo, nisi quædam adhuc subjiciam necessario observanda de discrimine, quod intercedit inter excommunicationem, & anathema; quamquam enim idemtide in ecclesiasticis canonibus promiscue hæc usurpata inveniamus, plurimum tamen, si proprie ea vocabula sumantur, distinguuntur inter se, atque ad diversos coercionum modos referuntur. Recte scribebat Bonifacius VIII. in cap. 1. de sent. excomm. in 6. excommunicationem esse medicinalem, & disciplinantem, non eradicantem: anathema vero ajebat Augustinus in can. 18. caus. 2. quæst. 1. esse mortale, quod etiam legitur in can. 41. caus. 11. quæst. 3., ubi dicitur *æternæ mortis damnatio*. Et quidem utriusque ratio, & effectus valde dissimiles sunt. Etenim imprimis anathema infligitur adversus eos, qui maxime pugnaces Ecclesiæ obsistunt, & quorum nulla probabilis spes est, futurum, ut resipiscant, quo sensu in dicto can. 41. caus. 11. quæst. 3. statutum fuit, anathema non nisi pro mortali imponi criminе, nimirum pro eo criminе, in quo quis usque ad mortem perseverat, uti explicant illi subjecta verba, & illi, qui aliter non potuerit corrigi. Hujusmodi sunt hæretici, qui non tantum charitatis & gratiæ, verum & vinculum fidei, quo ad unitatem Ecclesiæ colligabantur, reciderunt; item rei gravissimorum scelerum, qui postquam excommunicatione majore notati fuerunt, in sua manent perfidia pervicaces, ac propterea quod supernant omnino Ecclesiæ potestatem, tanquam hæretici existimantur, cap. ult. de pœnis. Hos Pragmatici appellant *insordescentes in excommunicatione*. Hinc fit, ut anathema pœna potius sit, quam cen-

sura, sit insuper longe gravius excommunicatione, cuius rei argumento est, quod aliquando obtinuit, ut Episcopus neminem posset anathemate damnare sine conscientia Archiepiscopi vel Coepiscoporum, can. 41. caus. 11. quæst. 3. quamquam hodie infligere illud possit, quicumque censurarum inferendarum potestatem habet. Deinde quod ad effectus attinet, sunt quidem utrique, nimirum seu tantum excommunicati, seu etiam anathematizati extra Ecclesiam, non tamen eodem modo. Si quidem anathematizati jura omnia Ecclesiastica redacti, ita dixerim, avulsa amisisse censentur, instar deportatorum, qui a civitate quasi mortui amandantur, extinctis omnino juribus universis. At excommunicati nondum insordescentes, utur extra Ecclesiam dejecti, & nihil cum fidelibus cæteri commune exercere valentes, aliqua tamen jura in radice, ita dixerim, servant; ferre instar legatorum, quibus extra civitatem constitutis nihil est, quod agere commune cum civibus in urbe valeant, summum tamen jus civitatis adhuc adhaeret; dixerim paucis, non facto ipsi, sed nudo jure sunt cives. Ad rem Ovidius in libr. 2. fastorum ita clementiam Cæsaris commemorabat: *Adde quod edictum quamvis immite, minaxque; attamen in pœnæ nomine mite fuit, quippe relegatus, non exul dico ab urbe*. Revera nonne ante insordescientiam jura quædam ecclesiastica in excommunicatis adparent, quæ post insordescientiam extinguntur? Exempla sunt in can. 36., & 37. caus. 11. quæst. 3.. Nonne in cap. 13. vers. *Qui autem de hæreticis, in cap. 7. eod. tit. in 6., & in Concilio Tridentino sess. 25. de Ref. cap. 3. in fine, excommunicati tuui demum, cum fuerint insordescentes, comparantur hæreticis, seu quod idem est, iis, qui ecclesiastica jura penitus amiserunt?* Nonne Alexander III. in cap. 3. 4. 5. de Cler. excomm. ministr.. Clericum excommunicationem, cui subjaceat, negligenter, deponi debere constituit, quod sane fieri nullo modo posset, nisi quid-

quam juris superesset, a quo deponatur? Excommunicationem ita distinxit ab anathemate Joannes VIII, in can. 12. caus. 3. quæst. 4., Symmachus in can. 3. caus. 3. quæst. 5.. Nicolaus in can. 2. caus. 4. quæst. 1., & Cœlestinus III. in cap. 10. de judiciis. Hoc ponere excommunicatorum discrimen oportet. Cæterum si factum considemus, sive jurium exercitationem, & que omnes esse extra Ecclesiam dicimus, & quod anathemate ejectis, illud etiam convenire excommunicatione notatis, nisi illud observetur, opus esse cum anathematizatis dispensatione tanquam a pœna, cum excommunicatis absolutione tanquam a censura, quo casu isti ad Ecclesiam revertantur; quamquam tamen etiam absolutio concedatur anathematizatis, quia anathema etiam excommunicationem sub se complectitur, immo & in excommunicationem flectitur, quoties reus spem de se bonam præbet, futurum ut respicat.

Evidem novi, aliquando in sacris canonibus anathema improprie sumi, & mitius, ut significet excommunicationis censuram. Evenit in hac re, quod in præcedente capite observabam evenisse in nomine excommunicationis, quod aliquando etiam ad significandas pœnitentias quasdam, & pœnas, immo & suspensionis censuram usurpatum est. Quamobrem juvabit statuere certas regulas, ex quibus dignoscatur, quibus in casibus proprie anathema sumitur, quibus e contrario sub ejus nomine censura venit excommunicationis. Prima regula est: Quibus in canonibus nomen anathematis nomini excommunicationis opponitur, atque ita de anathemate mentio fit, ut gravius excommunicatione videatur, tunc anathema proprie dicitur. Exempla sunt in can. 12. caus. 3. quæst. 4., in cap. 10. de judiciis. Secunda regula est: Si dicitur, de anathematizato omnem spem penitus abjici, eumdemque in extrema deduci, non excommunicationis censura erit, sed anathematis pœna, ut in can. 1.

dist. 23., quemadmodum & si dicatur anathema perpetuum esse, can. 5. dist. 79.. Tertia regula est: quoties de hæreticis, aut de insordescientibus in excommunicatione anathema pronuntiatur, tunc istud proprie sumi facile constat ex iis, quæ modo de natura anathematis observabam. Quarta regula est: Si agatur de nova lege, quæ veterem confirmet, & in nova lege anathematis sententia proferatur ad normam legis veteris, in vetere autem lege anathema proprie usurpetur, non erit dubitandum, quin in nova etiam lege anathematis nomen idem significet. Exemplum est in can. 1. dist. 23. juncto can. 5., & 6. dist. 76.. Quinta regula est: Si anathema ad certum, vel incertum tempus expresse in sententiam adjectum inferatur, erit potius excommunicatione vel major, vel minor, juxta regulas a me alibi positas judicanda, ut in can. 38. caus. 12. quæst. 2.. Sexta regula est: Si usurpetur nomen anathematis promiscue cum nomine excommunicationis in eodem can., neque dubito, canonem esse potius de excommunicationis censura, quam de anathematis pœna intelligendum, uti in cap. 21. §. 1. de jure patron., in cap. 7. de immunit., & in cap. 13. vers. Qui autem de hæreticis. Huic proxima regula est, qua tradi potest, quo in casu censura excommunicationis infertur, & ad majorem sententiæ solemnitatem, quam fulminationem Pragmatici appellant, graviores quædam formulæ adhibentur, adjectio etiam anathematis nomine ad terrorem concitandum, nihil ulterius pronuntiatum intelligi, quam excommunicationis censuram, uti in can. 2. caus. 5. quæst. 1.. Septima regula est: Si adpareat, post anathema inflictum, adhuc procedi posse ad pœnas ulteriores, ex. gr. ad depositionem Clerici, qui anathematizatus dicatur, potius erit excommunicatio, can. 5. ex Apostolicis. Postrema regula est: Si dicitur anathema infligi in pœnam violatæ excommunicationis, distinguendum erit: vel enim violata est vera, & pro-

prie dicta excommunicatio, quam majorē recentiores appellaverunt, tum vero proprio dicetur anathema, uti in can. 2. caus. 5. quæst. 2., in can. 3. caus. 3. quæst. 5., & in cap. 10. de judiciis. Vel violata est excommunicatio, quam minorē appellant, aut si de veterum ca-

nonum interpretatione sermo sit, excommunicatione quædam ex levioribus, quam non esset dejectio ab universa Ecclesiæ communione; tum vero proprio dicetur excommunicationis censura, uti in can. 2. caus. 5. quæst. 1..

CAPUT VII.

De suspensionis Censura.

Quemadmodum sæpe apud veteres sub generali excommunicationis nomine, uti superius observatum est, veniebat etiam suspensio ad certum, vel incertum tempus iudicata, aut perpetua depositio a sacris, religiosisve officiis, can. 5. ex Apostolicis, can. 13. dist. 12., can. 17. dist. 18., ean. 9. dist. 23., can. 9. dist. 35., can. ult. caus. 2. quæst. 1., can. 16. caus. 7. quæst. 1., can. 2. caus. 24. quæst. 3., can. 35. 57. de consecr. dist. 1., can. 11. de consecr. dist. 2., ita & aliquando contingit, ut excommunicati, ii scilicet qui censura excommunicationis, non poena anathematis plectebantur, suspensi a communione dicerentur, etiam si de laicis agebatur, can. 7. caus. 27. quæst. 1., can. 5. de pœnit. dist. 5., & in can. 11. Concilii Arelatensis II. anni 452., ubi statuitur, laicos metu persecutionum a fide recedentes per certum tempus haberi a communione suspenses, quod potiore jure de Clericis dicebatur, ubi communione tantum clericali arcebantur, uti in can. 2. dist. 34., can. 12. caus. 2. quæst. 1., can. 1. caus. 4. quæst. 5., ean. 2. caus. 15. quæst. 8. can. 2. caus. 21. quæst. 4.. Hodie proprio suspensio appellatur censura, qua Clerico, vel Monacho, vel etiam Clericorum, Monachorumve Collegio interdictur, ne ordine suo, officiove fungatur, neve fructus beneficii sui percipiat, jure beneficii, officiive retento. Speciale hoc suspensiois nomen ad hanc censuram designan-

dam a recentioribus usurpari consuevit, postquam censurarum discrimina clarius a Pragmaticis, & Interpretibus tradi coepерunt, juxta capitulum 20. de verb. signif., cap. 8. de consuet., cap. 7. in fine, cap. 16., & 26. de elect., cap. 8. de ætate qualit., & ord. præf., cap. 18. de excess. Prælat.. Neque vero negotium facessit capitulum 2. de Cler. excomm., quod est Concilii Antiocheni quarto saeculo celebrati; siquidem quod ibidem occurrit suspensi Clerici nomen, recentioris Interpretis manu adjectum deprehenditur, quemadmodum liquet ex collatione dicti capituli cum can. 6., & 7. caus. 11. quæst. 3.. Non memoro canonem 5. caus. 26. q. 6. utpote in quem mendum irrepsisse, & pro voce *suspensus* in Toletano Concilio legi *depositus* jam observaverunt Romani Correctores. Similia etiam menda occurrunt in can. 2. caus. 21. quæst. 4., &, uti multis placet, in dict. can. 12. dist. 34., seu, quod idem est, in cap. 1. de Clerico venatore. Cum autem, uti dictum est, apud veteres aliquando nomen suspensionis indicabat depositionem, id verum erat, ubi suspensio in perpetuum indicebatur, can. 5. caus. 26. quæst. 5., quemadmodum & e converso non semel qui depositi, & damnati generaliter dicebantur, proprio suspensi tantum erant, quoties in certum, vel in incertum tempus depositio conferretur, quemadmodum interpretari possumus canonem 13., & sequentes usque ad 29.

dist. 50.. Hinc regula præstitui potest ut si quis in veteribus canonibus dicitur deponi, aut carere dignitate, dejicī a clero intelligeretur suspensio, nisi adpareret, adjectam fuisse clausulam *sine spe restitutionis*, vel aliam similem quæ pœnam perpetuam designaret; quemadmodum intelligo canonem 13. dist. 23. can. 5. 7. dist. 24., can. 1. dist. 48. can. 22. 25. 29. 32. 33. 55. 58. dist. 50., can. 1. 5. dist. 51., can. 2. & passim dist. 54., can. 1. 2. dist. 70., can. 1. 3. 4., & passim dist. 71., can. 4. dist. 77., can. 4. caus. 1. q. 7., & can. 7. caus. 2. q. 3.. Quod si quandoque in vetustis canonibus talis concepta fuisset formula, quæ æque commode & ad suspensionem, & ad depositionem referri valeret, ego censeo, positum fuisse in Episcoporum arbitrio, ut, quam pro arbitrio judicarent, seu suspensionis, seu depositionis pro qualitate criminis, & adjunctis sententiam proferrent.

Itaque proprie dicta suspensio imprimis appellatur censura, non sane quod omnis suspensio, quæ in canonibus memoratur, censura sit, sed illatantum, quæ infertur ad coercendos reos criminum, donec ipsi Ecclesiæ satisfiant. Hinc multiplex suspensio esse potest, alia nimirum, quæ pœnitentiæ, vel pœnæ locum tenet; alia, quæ neque pœnitentia, neque pœna, neque censura est, sed potius salutaris quædam providentia, qua Episcopus ex certis factorum adjunctis consulit decori sacerorum, sive Sacramentorum honori; alia denique, quæ est proprie censura. Qua in re observatione dignum est, non omnia, quæ passim statuta, ac recepta sunt de censura suspensionis, cæteris suspensionum speciebus convenire. Sita est aliquando suspensio in pœnitentiæ, vel pœna, veluti cum quis ad certum, & determinatum tempus, puta ad annum, jubetur a sacris officiis abstinere, uti in can. 13. dist. 12., can. 17. dist. 18., can. 9. dist. 35.,

can. 36. dist. 50., can. 2. dist. 55., can. 29. caus. 7. q. 1., can. 2. caus. 21. quæst. 4., can. 32. caus. 23. q. 8., cap. 1. de custod. Euchar., cap. 7. de elect., cap. 1. §. *Adjicientes*, cap. 16. §. *Cæterum*, cap. 37. *Porro*, cap. 44. eod. tit. in 6., cap. 2., & 4. de tempor. ordin. in 6., cap. 1. de sent., & re judic. in 6., cap. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6., cap. 1. de sentent. excomm. in 6., Clem. 1. §. *Verum de hæret.*, Concilio Tridentino sess. 23. cap. 8., & 10. de *Reformat.* Consistit deinde aliquando suspensio in eo, quod episcopali providentia quis arcetur a ministerio sacro, non sane quod qui suspenditur, criminis reus sit, aut de crimen convictus, aut crimen confessus, sed quod non deceat sancta tractari ab eo, contra quem fama publica aliquid minus honestum refert, vel jam criminis publici accusatio, vel inquisitio fuerit instituta, ita postulante politiæ ecclesiasticæ ratione, quæ non patitur ad exercitionem sacrorum admitti nisi eos, qui integræ viæ, & existimationis sint apud homines, ut honesta undecumque sit, & decora Sacramentorum administratio. Hæc suspensio nec per sententiam fit, nec ex juris dispositione, sed per mandatum Prælati. Exempla autem sunt in can. 31., & 14. caus. 2. quæst. 5., in cap. 26. de accusation., in cap. 10. de purgat. canon, in cap. 4. 5. 10., & 31. de simonia. Hinc fluit, ut quamquam nemo excommunicari possit, aut interdici, nisi ob certum crimen, immo ut plurimum causa excommunicationis, aut interdicti esse soleat contumacia; aliud tamen observetur in suspensione, quæ etiam ad cautelam adhibetur, quæ in specie numquam censura dici potest. Hinc etiam fluit, ut suspensio infligi possit ob peccata præterita, quæ quis forte jam pœnitentia deleverit, aut etiam ex sola suspicione peccati, quemadmodum & rite indicaretur ex defecitu corporis temporali, quod potius in

honorem fit sacri ordinis, quam ad privationem jurium spiritualium causa Clerici emendandi. Porro in hoc suspensionis genere obtinet, ut suspensus non statim, ac purgatus, absolutusque ab judicio fuerit, absolvendus sit a suspensione, & ad sacra ministeria obeunda admittendus, sed debeat adhuc exspectari, donec rumor publicus, ad scandalum evanuerit, secus ac vigeat in suspensione a beneficio, quod statim reddendum est, cap. 10. de purgat. canon.. Hinc præterea fluit, suspensionem, quæ fit ad cautelam, seu ad honorem sacrorum ministeriorum, esse partiale, nimirum tantum ab exercitione ordinis, non a beneficiis; etenim in eo, quo quis beneficii redditibus utatur, non est, quod detrahatur venerationi sacrorum ministeriorum; unde in cap. 10. de purgat. canon. Innocentius III. adprobavit quidem sententiam suspensionis a muniberis ordinis latam adversus suspectum; non tamen eodem modo adprobavit sententiam suspensionis a beneficio, quam tantum professus est, se nolle improbare, factum superioris excusans, propterea quod de immanitate criminis, in quo sevioris disciplinæ extra ordinem usus esse poterat, ageretur. Hinc denique fluit, aliquando esse posse aliquem suspensum ratione sui, non aliorum, uti contingit in crimen occulto, cui inmineat ipso facto suspensionis censura: aliquando posse aliquem suspendi ratione aliorum, non sui, veluti ab exercitione sacrorum ex simplici suspicione criminis, qua in specie nonnihil relinquitur arbitrio Prælati, ut coerceat suspensionis mandatum ad sacra publice gerenda, & permittere valeat, pro suspicionis modo, Clerico suspecto exercitionem ordinis privatim habendam; & aliquando posse aliquem esse suspensum & ratione sui, & aliorum, ubi crimen verum sit, & publicum, id est, judicio publico probatum.

Proprie censura suspensionis est, cum

ad tempus indeterminatum infligitur ad reum emendandum, & in hoc a depositione perpetua distinguitur. Referatur autem ad functiones universas, siue clericales, sive monasticas, sive illæ sint ordinis, sive administrationis; & in hoc distinguitur ab excommunicacione, quæ refertur ad bona fidelibus universis communia, eamque ob causam ita definita est, ut per eam Clericis, aut Monachis interdicatur, ne ordine suo, officiove fungantur, neve fructus beneficiorum percipiant, non solum jure ordinationis, sed & jure officii, beneficiique retento. Igitur inferri potest censura suspensionis in Clericos æque, ac in Monachos, aut Sanctimoniales, immo & in Clericorum, Monachorum, aut Sanctimonialium Collegia. Siquidem hærent iis omnibus jura, circa quæ suspensio versatur. Respectu Capitulorum sunt, quæ fiunt in communi, puta jus eligendi, jus celebrandorum officiorum, jus suffragii in negotiis Capitularibus, & similia. De suspensione ab jure eligendi fit mentio in cap. 7. §. ult. de elect.. De suspensione ab officiis mentio fit in cap. 40. de election. in 6., & in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 10. de Reformat.. Notandum autem est, ubi Capitula dicuntur suspensi a divinis, intelligi suspensa a divinis, quæ fiunt in communi, non autem ab iis, quæ singuli de Capitulo obirent; cum multum distet suspensio Collegiorum a suspensione singularium personarum, utut istæ Collegium componant. Respectu singularium personarum suspensio refertur ad omnia jura, quæ singularibus eisdem personis competunt. Specialis est de Episcopis constituta disciplina, item de Prælatis quibuscumque Episcopo majoribus, ut ii non subjaceant generalibus suspensionibus ex juris auctoritate indictis, nisi in lege suspensionem indicente facta fuerit de eisdem Episcopis, & Prælatis expressa mentio, cap. 37. de elect. in 6. cap. 4. de sent. excom. in 6.. Sunt, qui

putant, hoc episcopale privilegium, ut pote primum competens ex providentia Concilii Lugdunensis, spectare tantum suspensiones generaliter indictas ab iis legibus, quæ editæ fuerint post Lugdunense Concilium, non vero respicere canones præcedentes, sive editos olim usque ad annum 1245., propterea quod regula sit, leges futuris tantum, non præteritis casibus prospicere, argumento capituli 13. de constitut. Mihi hæc opinio placere non potest, observanti imprimis, Lugdunensem canonem in dicto cap. 4. de sentent. excomm. in 6. non exprimi verbis directis in leges, quæ sententiam suspensionis intulerunt, sed in Episcopos, qui exempti declarantur a suspensione a quacumque constitutione indicta, uti perspicue probant verba illa, *nullus constitutionis occasione*; observanti deinde, rationem Lugdunensis Concilii generalem esse, & æque ad futuras, atque ad præteritas leges referri; quomodo enim satis prospectum esset juxta mentem Lugdunensem Patrum periculis Ecclesiarum, si adhuc Episcopi subjacerent pergerent suspensionibus antea indictis? observanti denique, nihil in contrarium probari ex generali regula capituli 13. de constit., quamquam enim verum sit, leges plerumque non respicere casus præteritos, in proposito tamen Lugdunense privilegium prospicere futuris casibus. Esto, legem proponi latam ante Lugdunense Concilium; factum tamen, ex quo Episcopus suspensioni subjaceret, Lugdunensi Concilio successit; eamque ob rem in hac specie adhuc constitutio Lugdunensis ad futuros tantum casus referretur. Episcoporum mentio specialis fit in ea specie, qua damnandi sint, qui Apostolicæ Sedis præcepta contemnunt, can. 2. dist. 12., secundo in ea specie, qua plectuntur Clerici venatores, can. 2. dist. 34., cap. 1. de Clerico venat.; tertio in ea specie, qua Episcopi consentiant Clericis incontinentibus, can. 10. dist. 32., & can. 1.

dist. 83.; quarto, quoties Episcopi mutuis sese non adjuverint officiis ad pacem populorum conciliandam, can. 11. dist. 90.; quinto, si Episcopi Parochias alienas invadant, vel concitent seditiones, can. 6. dist. 92.; sexto, si pecuniam pro sacro oleo, aut balsamo Episcopi acceperint, can. 102. caus. 1. quæst. 1.; septimo, si Episcopus alienum dioecesanum censura notaverit, can. 7. caus. 9. quæst. 3.; octavo, si Episcopus temere res ecclesiasticas alienaverit, can. 8. caus. 10. quæst. 2.; nono, si Episcopus præter superioris consensum a sua dioecesi absit, can. 26., & 27. caus. 23. quæst. 8.; decimo, si Episcopus conniventiam in depopulatorum agrorum, & incendiarios exhibuerit, can. 32. caus. 23. quæst. 8.; undecimo, si Episcopus decimas, & oblationes laicis concesserit, cap. 17. de decimis; duodecimo, si Concilium provinciale statutis temporibus non celebraverit, cap. 25. de accusat.; decimo tertio, si Episcopus non eam sollicitudinem adhibuerit, quæ indicitur in cap. 9. de hæreticis in integra Decretrali; decimo quarto in specie cap. 10. de excess. Prælator., ubi Episcopus contra canones adversus fures judicium institui curaverat, graviterque deliquerat; denique si Episcopus ordinaverit invitum, can. 1. dist. 74..

Duplex est suspensionis censura, nimirum totalis, & partialis, uti Pragmatici loquuntur. Totalis universa jura afficit, seu quæ ab officio, seu quæ a beneficio, seu quæ ab ordine pendent, uti in can. 5. 6. 10., & 11. dist. 32.. Partialis aliqua tantum jura elevat, vel ea nimirum, quæ sunt officii, vel quæ beneficii, vel quæ ordinis, uti in cap. 2. de Cleric. non ordin. min., cap. 7. §. ult., cap. 26., & 44. de elect., cap. 1. in fine, cap. 13., & 37. de elect. in 6., cap. 1. de sent. & re judic. in 6.. Immo & ipsa partialis suspensio adhuc in minores partes subdividitur; sic ex. gr. potest ita quis suspendi ab or-

dine, ut unius careat ordinis ministerio, alterius ministerium retineat, can. 17. dist. 34. can. 39. dist. 50., cap. 13. 14. 16. de temporib. ordin., cap. 4. eod. in 6., cap. un. de Cler. per salt. prom., cap. 2., & 3. de eo qui furtive. Sic ex. gr. potest per suspensionem alicui denegari jus unius beneficii, alterius reservari, cap. 37. de elect. in 6.. Multa sane sunt in proposito observanda. Et primo quidem, si quis generaliter sit suspensus, id est, ita aut lege, aut sententia judicis notetur, ut absolute suspendatur, intelligetur suspensus ab omnibus iuribus seu ordinis, seu officii, seu beneficii, argumento canonis 2. caus. 21. quæst. 2.. Secundo, licet suspensio a minore ordine, officio, vel beneficio in causa sit, ut majori, & præstantiori ut plurimum interdicatur; non tamen e converso suspenso a majore, & præstantiore interdictum intelligetur, ne in minore ministret, cap. 4., & 17. de tempor. ordin.. Hanc ob rem suspensus ab ordine recepto, vi ejusdem suspensionis interea impeditur, ne ad maiores ordines ascendat. Tertio, quod attinet ad suspensionem ab ordine, qui ab hoc tantum suspensus est, poterit nihilominus exercere jurisdictionem in foro externo. Quarto, quod attinet ad suspensionem ab officio, qui ab hoc suspensus est, neque eligere, neque eligi potest, neque suffragium ullum ferre, cap. 8. de consuet., cap. 26. de elect., cap. 8. de æt., & qual. præfic., cap. 10. de Cler. excomm. ministri., cap. 18. de excess. Prælator., neque ulla ratione potest exercere jurisdictionem, sive fori interni sit, sive fori externi, ita ut actus jurisdictionis editi iritti penitus habeantur. Quinto, quod attinet ad suspensionem a beneficio, observatur, olim hanc per quam raro indicatam fuisse, propterea quod beneficia non habebant eam formam, quam in præsentia exhibent. Nimirum beneficia Clericorum ex communi disciplina in eo consistebant, quod Clericus

ex redditibus Ecclesiarum necessaria alimenta perciperet, sive in communi, sive certas obventiones sibi præcipuas faciens. Potius in hoc censuræ species erat, quod Clerici cogarentur alimenta capite segregati a cæteris, quod dicebatur deduci in peregrinam communionem. Recentioribus sæculis, postquam beneficia in aliam formam redacta sunt, & Clerici sibi blanditi fuerunt, arbitratse in illis majus quoddam jus habere, frequentior esse cœpit hæc suspensio, ut in iis rei gravius punirentur, in quibus quoddam sibi delictum constituerunt. Itaque si quis suspenditur a beneficio tantum, non censebitur suspensus ab officio, vel ordinis ministerio, can. 32., & 39. dist. 50., cap. 2. de Cler. non ordin. min., ideoque adhuc eligere poterit, immo & beneficium resignare, ac permutare, propterea quod suspensio a beneficio non privet ipso beneficii jure, sed tantum a commodis beneficii temporalibus arceat, cap. 7. de elect.. Tantum prohibetur suspensus, ne fructus percipiat, ne bona, & jura beneficii administret, neve bonorum beneficiariorum causa in judicio agat, aut excipiat, cap. 8. de dolo, & cont., cap. 9. de except., dato interea auctoritate Prælati curatore beneficio eidem, ut sit, qui fructus colligat, & jura beneficii tueatur. Quod si quis suspensus tantum a beneficio proponatur sui superioris auctoritate, ea suspensio tantum afficiet beneficium, quod possidetur in Ecclesia, quam suspensus offendit, non cætera beneficia, cap. 37., & 44. de elect. in 6., nisi aliud in sententia exprimatur, cap. 40. eod. in 6.. Ex his omnibus nemo non intelligit causam, quare suspensio magis, quam cæteræ censuræ, hodie in usu esse soleat, atque observari. Afficit ipsa tantum personas ecclesiasticas, easque, quæ ecclesiasticarum numero recensentur; proindeque ecclesiastici Prælati pressius, & expeditius curare valent, ut hujus generis sententia executioni mandetur.